



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Semper Gaudendi

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per
Adventuales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificium In Conscientiae Recta Efformatione
inuentum, & per Adventuales Conciones expositum ac demonstratum

Sarasa, Alfonsus Antonius de

Antverpiae, 1667

Septimum Officium Conscientiae Pro poenis peccato debitis satisfacere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11367

500 TRACTATUS DECIMVSSEXTVS
SEPTIMVM CONSCIENTIÆ OFFICIVM

Pro pœnis peccato debitis satisfacere.

TRACTATUS XVI.

DE SATISFACTIONE SACRA-
MENTALI ET VLTRONEA.

Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor
meus in conspectu meo semper. Quoniam
iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo
pro peccato meo semper. *Psal. 37. v. 18. 19.*

*Quo jure imponantur à Sacerdote mulctæ pœnitentibus, &
quantùm obligent. An semper graues injungenda, uti
volunt nonnulli, & an hæc fuerit praxis veteris Ecclesie,
& mens SS. Patrum. Commendantur pœnitentiæ sponte
susceptæ; earumque fructus multiplex, & usus varius osten-
ditur.*

P R O O E M I V M.



Uod in foro externo, etiam vbi criminum præ-
standa est gratia, à Principibus rectè exigitur,
id etiam in Diuino Misericordiæ tribunali video
obseruari. Etenim quamuis isthic, reo sua crimi-
na fide bonâ jam confesso, vitæ concedenda sit
gratia; tamen seueritatem misericordiæ admis-
cet Princeps, mulctamque aliquam reo imponit: tum quòd ita
exigat criminis condonandi enormitas; tum quòd mulctæ persol-
uendæ

uendæ obligatio, beneficij præstiti memoriam refricabit reo, majore nque inducet legum reuerentiam & obseruationem. Non aliter sanè nobiscum agit, misericors sit quantumuis Deus. Culpam omnem, pœnalque æternas, peccatori crimina sua ritè exponenti, liberalissimè concedit; multas tamen exigit, imo imponit; quo jure, mox videbimus. Satisfactiones hæ vocantur, & sunt: quas quidem vltroneas esse patitur: & sponte oblatas, refert in computus, debitive solutionem. Alias tamen legitimè à Sacerdotibus imponi vult, & à pœnitentibus acceptari: & sunt eæ, quas Sacramentales dicimus. Magna inter has est differentia; quam quia nonnulli non obseruant, aut sanè dissimulant, turbant omnia, clamore magno, fructu nullo. Itaque in duas partes diuidenda est oratio. Et primò quidem exponendum est quod pœnas in Sacramento injunctas spectat; quo jure exiguntur; quantum obligent; paruane an magnæ passim imponendæ. Deinde quid de pœnis vltroneis & afflictationibus corporis dicendum sit; quantum his placetur Deus; quanta ex iis ad peccatorem emolumenta obuenant; & tandem quâ ratione sanctum hoc carnis suæ odium sit exercendum.

§. I.

Vnde post remissam culpam, satisfactionis existat obligatio. Satisfactio duplex est: voluntaria, & Sacramentalis. Declaratur quid hæc possit, utramque reuiciunt hæretici, sed malè, & contra sacræ pagine mentem.

1. **V**T rebus dicendis fundamentum substernamus firmum & solidum, illud ante omnia statuendum est; non ita semper aut Contritioni, aut Sacramento Pœnitentiæ per Sacerdotis indulgentiam, criminum culpam condonari, vt etiam omnis omnino pœna iis debita, præter æternam, pœnitenti illico remittatur, sic vt nihil quidquam luendum restet. Pluribus hoc nunc agere non est animus, quod aliàs fortasse fusiùs prosequemur. Instituto meo sufficit, Tridentini Concilij decreto id esse sancitum. Ita habet. *Sancta Synodus declarat, falsum omnino esse, & à verbo*

Condonatæ culpæ, non semper condonatur omnis pœna peccati debita.

Trid. sess.
14. c. 8.

Dei alienum, culpam à Domino numquam remitti, quin vniuersa etiam pœna condonetur: perspicua enim & illustra in sacris litteris exempla reperiuntur, quibus, præter Diuinam traditionem, hic error manifestissimè reuincitur. Certè scelerum gratiam, culpæ inquam condonationem obtinuerat regius Psaltes: & tamen pœnam omnem crimini debitam, ne efflictim quidem eam deprecando, à se potuit auertere. Ita sacræ testantur litteræ. *Et dixit Dauid* 2. Reg. c.
ad Nathan, peccavi Domino. Dixitque Nathan ad Dauid; Do- 12. v. 13. 14
minus quoque transulit peccatum tuum; non morieris. Verumta-
men quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum
hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur: nequidquam nisi
est Dauid ieiunio obstinato, corporisque afflictionibus, pœnam
ex dolore morituri pueri orituram à se amoliri, accidit enim die
septimâ ut moreretur infans. Condonatâ culpâ, pœnas tamen
remissi sceleris exigit justus Deus: non est ergo disputandum vl-
teriùs, an peccati obtentâ gratiâ, culpâque jam remissâ, pœnæ
tamen à reo possint exigi; nisi injustum fortassè velimus Numen
dicere, quòd has à Dauide sibi per pœnitentiam reconciliato ex-
eegerit: exegit nihilominus tam seuerè. Indubitatum hoc & Sa-
cro-sanctum Ecclesiæ orthodoxæ dogma, instituti mei jam non
est pluribus demonstrare; neque quòd exinde consequitur, sa-
tisfactionem meritò postulari, vbi justum est quòd debetur,

Hinc pœ-
nitentia
voluntaria
ortum ha-
bent.

item Sacra-
mentales
satisfactio-
nes:

quæ sunt
pars inte-
gralis Sa-
cramenti.

Ex hoc principio ritè stabilito, & ab ipsis jam inde Ecclesiæ sanctæ incunabulis, ab omnibus Christi fidelibus legitimè percepto, ortum duxit, *primò* quidem pœnarum corporisque afflictationum voluntaria liberaque susceptio; vigiliarum ieiuniorumque, vti & cilicinarum vestium, quin & verberum sibi inflictorum sanctus vsus; quò pœnis à se Deo debitis, & aut hîc incussis flagellis, aut purgatorij igne expiandis satisfacerent, easque persoluerent in antecessum. *Secundò* ex hoc nata est satisfactio quam Sacerdos pœnitentibus, dum culpæ gratiam concedit, nihilominus imponit. Quæ quidem quamuis ad essentiã Sacramenti non requiratur (verum enim esset, absolutio- nisque virtutem omnem in condonandâ culpâ reo conferret, etiamsi nulla prorsus à Sacerdote pœnitenti imponeretur multa aut pœna) pars tamen integralis est, vt aiunt Theologi, & sine quâ Sacramentum non esset partibus requisitis omnimodè absolutum. Sic vir captus brachiis, quamuis ei adsint omnia quæ hominem

2.

hominem componunt, partibusque constet quæ humanam naturam constituunt, corpore inquam, atque animâ ratione præditâ, quorum gratiâ perfectus homo & est & dicitur; tamen quod partibus careat, quæ à corpore humano exiguntur, rectè negatur homo integer, cum tamen nemo possit ire inficias, quin homo sit perfectus.

3. Hoc verò pœnæ quæ à Sacerdote imponuntur habent eximij, & quod pœnitentibus stimulos dabit ad eas non acceptandas tantum facile, sed & ad persolvendas etiam animo libenti & prompto; quod longè majorem ad satisfaciendum virtutem habeant, præ ijs quas sponte suâ reus suscipit. Adeo ut eadem prorsus abstinentia, aut oratio, aut eleëmofyna, quam ex præcepto Confessionis quis exequitur, longè plura pœnarum debita expungat, quam si proprio pœnitentis exhibeantur arbitrio. In his enim totus actionis præstitæ valor ex operantis est opere; in illo autem præter operantis merita, feruorem agentis, actionisque bonitatem, accedit summa præstantia ex opere operato, id est, ex meritis Christi, quæ per Sacramentum, Sacerdotisque jurisdictionem pœnitentis satisfactioni legitime applicantur.

Sacramentales pœnitentia magis satisfaciunt quam voluntaria.

4. Neque parum attendendum est, quod satisfactionem sic præscriptam, Confessionis præceptum esse dixerim. Ab eâ enim à Sacerdote impositâ, & à pœnitente acceptatâ, nascitur in pœnitente parendi obligatio: quandoquidem tota hæc causa virtute Clauium, & jurisdictione legitimâ peragitur; cui competit, non tantum *soluere*, sed *ligare*. Neque ab hac multæ impositæ obligatione quisquam ritè absoluitur, nisi à legitimo iudice; id est aut ab eodem, aut certè ab alio, qui iuridicando legitimam etiam habeat potestatem.

Obligatio sub peccato.

Matt. 16.
v. 19.

5. Quod si tandem istud quæritur, quanta sit quæ pœnitenti incumbit parendi obligatio: respondeo, per vulgatissimam esse Theologorum sententiam, id pro pœnæ impositæ gravitate dijudicandum esse. Et quidem si multæ leues sunt (v.g. quina orationis Dominicæ salutationisque Angelicæ recitatio) non nisi sub venialis peccati interminatione esse persolvendas. Quod si verò magnæ fuerint, eæ inquam quæ communi prudentique hominum iudicio vulgares non censentur (has autem non pauci Theologi ad rosarium quinque decadum limitant) tum sanè mortalis incurrendi sceleris, si negligantur, noxam induci. Quod sine dubitatione vllâ,

Et quidem sub mortali si graves sunt, & imposita pro peccato gravi.

vllâ, si pro mortali crimine, & non pro venialibus solum fuerint injunctæ, judicandum est; cum & grauis sit materia quæ omittitur, & grauis sit causa quæ justo præcepto dedit occasionem. Atquæ hæc de Sacramentali satisfactione pro instituti mei breuitate, communique hominum praxi, dicta videntur sufficere: cætera quæ dici possent, Scholis relinquo.

*Hæretici
negant vllam
satisfactionem
esse vtilem.*

Istud tamen præmittendum non est, non deesse, qui pro suo genio arroderere vt solent omnia, ita & satisfactionem ab Ecclesiâ sanctissimè usurpatam, conuellere, & infectari non cessant. Duplex est id hominum genus. Hæretici enim satisfactionem penitus omnem, contendunt, persoluedis peccatorum pœnis, prorsus esse inutilem; non eas tantum quas Sacerdotis imperium, sed & quas pœnitentis animus pro piâ affectione, liberoque assumit arbitrio. Etenim garrunt à Christo persoluta omnia, justum ab ejus Sanguine pro peccatorum debitis pretium appensum esse. Ac propterea per satisfactiones hominum, merita patientis Dei, vel obscurari, vel aliquâ ex parte saltem imminui. Pœnas itaque satisfactioni necessarias, vt euadant Nouatores hi, prout Concilium Tridentinum attestatur, *optimam pœnitentiam, nouam vitam esse docent, vt omnem satisfactionis vim, & usum tollant.* Nullâ itaque, ex eorum placitis, peccatorum pœnitentia aut detestatione opus est, peccata vt condonentur; neque vllis afflictationibus impetenda est caro sceleribus vindicandis, eluendisque eorum reliquiis: tantum à peccatis abstinendum est deinceps, vitæque in melius efformanda, & salua sunt omnia. Placidum enim uerò hominum genus, charitatisque & pacis imprimis studiosum. Adeo enim actiones omnes amoris trutinâ expendunt, & charitate dimetiuntur quidquid agunt, vt nec sibi quidem, præ charitatis studio, irasci libeat, nec corpori proprio bellum indicere. Nescio sanè quid D. Paulo in mentem venerit, dum seuerus sui iudex, *castigabat corpus suum & in seruitutem redigebat:* aut quo pacto id contigerit, vt qui visceribus charitatis complectebatur omnes, corpus proprium à tam benigno amoris amplexu excluderet. Nescio etiam cur in *flagella se paratum*, exclamet Dauid: nec cur *iniquitatem suam pronuntiet*, nec rursus cur *cogitet* id est sollicitus sit pro peccatis suis semper: vitam enim in melius commutauerat; neque antiquis implicata criminibus, sed noua prorsus ei ducebatur & innocens: vt quid ergo flagella cogitat, qui nulli crimi-

Resistantur.

6.

Trid. sess.
14. c. 8.

1. Cor. 9.
v. 27.

Psal 37.
v. 18. 19.

ni, propter nouam vitam, est obnoxius? Nolo hæreticorum ineptiis refutandis diutiùs immorari. Plenæ sunt Sacræ paginæ, plenæ Patrum lucubrationes, testimonijs, quibus sanctum hoc corpus petulantis odium commendatur; imò & præscribitur: plenæ sunt denique Sanctorum historie, castigationum & pœnarum, quas viri innocentissimi pro leuibus etiam noxis vindicandis, seuerissime, & si carni accommodè loqui libeat, crudelissime de se sumpturunt. Apage igitur hæreticorum sese palpantium, carni que suæ molliter abblandientium teneras voces, imò & temerarias. Patiatur sanè nunc caro quæ justè meruit sufferre, vt non Spiritui tantùm, hoc est animæ, sed & corpori benè sit.

S. II.

Graues & ingentes pœnitentias in Confessione passim imponendas esse, asseritur præter mentem Tridentini, à quo salutares & conuenientes dandæ præscribuntur.

7.

Aliud genus est hominum, in diuersa omnino abeuntium. Catholicus hi sunt, sed nimio, Ecclesiasticos mores & instituta reformandi, vt præ se ferunt, studio abrepti, satisfactionem Sacramentalem non rectè in Ecclesiâ passim administrari contendunt. De voluntarijs pœnis rarus ipsis est sermo: sed circa Sacramentales multas à Sacerdotibus pœnitenti irrogandas, omnis penes illos sollicitudo est & cura; quasi si à rectâ Sacramenti Pœnitentiæ administratione, hæc in parte passim à Sacerdotibus aberretur. Causantur enim exiles esse multas, seu, vt jam vulgò loquimur, pœnitentias, quas Confessarij passim peccata confitentibus imponunt; neque eas esse, quæ scelerum grauitati respondeant: aliam fuisse olim Ecclesiæ veteris praxim, Patrumque sententiam: satis enim constare, grauisimas olim pœnas sceleratis impositas, quæ non vnum tantùm tenerent diem, sed & annos integros. Plenos esse Canones Ecclesiasticos, quibus & temporis diuturnitas, & jejuniorum frequentia, & genuflexionum modus, atque alia longè grauisima, sceleribus designantur supplicia; quæ quidem omnia exactè primitiua obseruabat Ecclesiâ. Nunc autem quid fit? preces aliquot peccatori grauisimo, sic quasi cursim recitandæ imponuntur,

Satisfactiones, non nisi graues, in Confessione imponendas, contendunt aliqui.

Proponuntur eorum rationes.

nuntur, neque quidquam vitra præcipitur: certe, longe aliter Pœnitentiam procurasse Sanctos Patres; quos nihil adeo constat in ore habuisse, quam ut ad graues à se exigendas pœnas, adhortarentur populum. Hæc & alia, per hosce annos, passim pro concionibus declamata sunt in pulpitis: & quidem nonnullorum eo proiecta est oratio aut licentia, vt Confessarios tam molli manu pœnitentem demulcentes, errare grauissimè, satis seuerè pronuntiant; Sacramento vitium facere: at à viris pietatem spirantibus eiusmodi Confessarios omnino esse fugiendos; non enim eos pœnitentium saluti, sed frequentia consulere. Hæc magnis animis, sed nescio an mente optimâ, publicè priuatimque diuendita, & multa alia in hanc rem. Vnde id saltem consecuti sunt operæ suæ pretium, vt & grauiores peccatores, vt mihi constat, à Confessionis Sacramento absteruerint; tenacioresque mentes admodum perturbant, dum sibi persuadere (quod etiam non obscure pro pulpitis dicebatur) non bonas fuisse admodum exomologes illas, quas præter Christi mentem, eius Vicarius Sacerdos frigidus & Judex imbellis, pro iurisdictione sibi tradita non administrabat. Ita illi, quibus antequam responderem, occurrendum est ante omnia perturbationibus & scrupulis; quos pœnitens sibi posset efformare ex Confessione, post quam criminibus par sibi à Confessario pœnitentia aut mulcta non sit imposita.

Dico igitur, siue magna sit, siue parua, quæ à Judice Absolutioni subneclitur mulcta; imò & si nulla imponatur, pœnitentem tamen de gratia impertita & à se percepta, minime debere ambigere. Nam quamuis nulla inuncta sit pœna, nihil tamen Sacramenti essentia deficit; (cujus, vt dixi num. 2. satisfactio essentialis pars non est, sed tantum integralis: non est itaque dubitandum, quin quod verum est Sacramentum, verum etiam effectum produxerit essentia Sacramentali debitum: hic autem est, culparum omnium condonatio, esto quod de pœnis peccato debitis nihil admodum sit remissum. Si autem leuis imposta sit mulcta, minus est quod de Sacramenti valore dubitetur; quandoquidem etiam confite parte integrante, licet fortassis ad eluendas pœnas non adeo robusta & valida.

Et verò, vt satisfactionis Sacramentalis natura dequaretur impensus

si quis pœnitentiam
non habuerit
etiam si nulla
satisfactio
imponatur

Sacramentum pœnitentia
constat & validum est,
etiam si nulla
satisfactio
imponatur

1120001

222

penitus

penitus istud accurate perpendendum est, in Sacramento Pœnitentiæ, non ex æquo pœnas exigi, sceleribus nimirum pœnis & commensuratas: quasi verò à pœnitente postulari debeant tantæ pœnæ, quantæ præter æternas, quæ proculdubio cum culpâ ipsâ condonatz jam sunt, adhuc debentur. Frustraneum enim esset iterum imponere pœnitenti debitum, quo jam tenetur ex scelere: quapropter nulla omnino à Sacerdote imponenda, esset satisfactio, si eandem ipsi deberet pœnam injungere, quam ex naturâ gravitateque sceleris, pœnitens debuisset exhibere. In eoque itaque stat Sacramentalis satisfactionis virtus & efficacia, ut minori multâ, sed juridicè impositâ, & liberè acceptatâ, pro gravibus pœnis legitime satisfiat, suisque interim & Deo offenso & reconciliationi factæ ster honos; cujus nonnumquam interest, sceleris commissi gratiam, ita pœnitenti conferre, ut tamen multâ aliqua reparandi honoris ergò non summa quidem, aut honori Divino per peccatum ablatò ex æquo correspondens, aliqua nihilominus exigatur. Aliqua, quia Dei offensi reverentia id postulat: non summa, tamen, quia gratia quæ in Pœnitentiæ Sacramento conceditur, uti eleganter asserit D. Thomas, *reconciliatio est amicitia*. Non solet autem inter amicos offensa satisfactio, rigori justitiæ commensurari, sed offensi voluntati; cujus est maximam multâ jure imponendæ parrem, amicitia condonare. Itaque, uti rectè D. Thomas, debita datur Deo violati honoris satisfactio, *dum offendens recompensat secundum voluntatem eius quem offendit*. Sic igitur, inquit, *requiritur ex parte pœnitentis, primo quidem voluntas recompensandæ, quod fit per contritionem. Secundò quòd se subiciat arbitrio Sacerdotis loco Dei, quod fit in Confessione. Tertio quòd recompenset, secundum arbitrium ministri Dei, quod fit in satisfactione*. Ita disertè D. Thomas. Ex quibus, omnibus id conficitur, pœnitentem cuicumque demum satisfactioni, & quantumcumque exili, debere acquiescere; officioque suo in Pœnitentiæ Sacramento, & gratiâ postulandâ fecisse satis, cum eâ mente tribunal hoc accesserit, ut quodecumque satisfactionis genus paratus fuerit acceptare, diuinæque voluntati, prout sibi innotuerit, morem gerere. Diuinam autem voluntatem, satisfactionemque ab eo exigendam, non aliâ ratione potuit percipere, quam ex Sacerdotis, Dei vicariis partes gerentis, voce & iudicio. Nihil itaque præter eam à pœnitente poterit jure exigi, cum ipsi nihil

Non debet in Confessione imponi multa quantum ferre mereatur pœnitens,

offensio
non sicut
ita loquitur
minor
etiam ubi

quia non
fit hic reconciliatio
ad rigorem
iustitiæ, sed
ex amicitia
legibus
videtur

Hinc pœnitens pland satisfecit suo muneri, qui quantum suam pœnitentiam in Confessione accepit.

D.T. 3. p.
q. 90. a. 2.



quidquam jure constet, aut constare possit, præter id quod à Dei personam repræsentante, & pro tribunali jus dicente, legitime præscribitur. Cessent igitur Neotericorum plus nimio effervescentium voces; neque Absolutioni conquerantur per minores pœnas impositas quidquam detractum: neque pœnitentibus, cum quibus actum est blandiùs, de præteritis Confessionibus metus faciant: fanatici enim sunt qui ingeruntur timores; legitima fuit Absolutio: neque in pœnitentiâ acceptatâ quidquam peccauit pœnitens. Si quid erratum est, Confessarij error fuit, qui tamen Confessionibus non officit, sed solum inficit Sacerdotem.

*Obiectio.
Salutè Confessarios nimis languidè agere.*

Hoc est inquit quod volumus; non adeò pœnitentes accusamus, quàm Judices ipsos erroris arguimus. Non enim rem Dei agunt, exigua qui pro grauissimis sceleribus imponunt supplicia, nec auctoritatem offensi Numinis, tam facilè indulgendo, tuentur. Imò nec pœnitentibus ipsis sic rectè consulitur; utpotè quibus inertes nimium, curandis sceleribus adhibentur medicinæ. Magnæ imponendæ sunt peccatoribus multæ; rigida ingerenda sunt supplicia; ut malo suo edoctus reus, sciat quid sit offendere tantum Deum, & à tormentis, quæ nunc ex Sacerdotis præscripto patitur, aliquando tandem sapiat, & à criminibus resipiscat.

10.

Non est priuati hominis legem Confessarij præscribere.

At in verò tu, pœnarum arbiter seuerissime? ingentes tu pœnas pœnitentibus irrogandas adstruis, blandioresque Confessarios ignauitæ accusas, imò & condemnas? At, quid si illi te interrogent *Quis te constituit iudicem super nos*, qui jurisdictionem nostram à Deo accepimus, nostro, non autem alieno arbitrio moderandam? Hæc, inquam, si respondeant, quid quæso tu illis, ratione bonâ poteris reponere? Clamabis illico fat scio, jurisdictionem nihilominus ex mente Dei exercendam, ne illi sit injuria. At tum illi jure rursus ex te quærent, à quo tandem debeant de mente Dei hæc in parte edoceri? An à te homine profus priuato; an verò ab ipsâ vniuersali Ecclesiâ, Diuinæ mentis legitimâ interprete, & cuius, uti Diuina, ita & indubitata est auctoritas? Sanè ab hæc petenda esse responsa, Sacramentorumque rectam administrationem edocendam; eaque quæ profert oracula, priuati cuiusdam viri placitis, infinito interuallo esse præferenda, sanus nemo, nemo orthodoxus, rectè negauerit. Videamus ergo quid vniuersa in Concilio Tridentino congregata

11.

gregata Ecclesia Confessariis de satisfactione à pœnitentibus expetendâ, præscribat. Ita habet sanctum decretum.

12. *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggererit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & conuenientes satisfactiones injungere: ne, si fortè peccatis conuincant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leuissima quedam opera pro grauissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Adde & rationem alteram, quam eodem capite præmiserat Sancta Synodus, *ne pœnitentes occasione acceptâ ex multa impositâ leuitate, peccata leuiora putantes, velut injuriij & contumeliosi Spiritui Sancto, in grauiora labantur, thesaurizantes sibi iram Dei.* Hæc Ecclesiæ, Sacerdotes suos instruentis, sola est, & tota institutio. Expendamus porro singula.

Decretum Tridentini de injungendis pœnitentiis.

13. Atque istud illico interrogo: vbinam in hoc decreto, grauium atque ingentium multarum, vel specie saltem tenus, facta sit mentio? Certè neque grauium neque etiam leuium satisfactionum, sed *salutarium & conuenientium* Synodus meminit, easque prudenter docet, non pro quantitate, sed pro *qualitate* criminum esse exigendas. Aliis enim aliisque morbis, aliæ atque aliæ adhibendæ sunt medicinæ. Cùm autem injunctæ multæ, non satisfactionis tantùm, sed & medicinæ, curandis animi morbis rationem habeant, rectè præscribitur *pro qualitate criminum, salutares & conuenientes* satisfactiones esse injungendas. Sic sanè eleëmofyna iniustitiæ, jejuniùm gulæ, aliæ afflictationes corporis luxuriæ deinceps curandæ conuenient, salubriterque illis vitiis infecto præscribentur: oratio denique, morborum animi vniuersalis medicina, rectè ex mente Tridentini injungetur, *pro qualitate criminum & pœnitentium facultate* nihilominus imponenda. Ast de quantitate criminum, quid obsecro hîc edicitur? Nihil prorsus. An enim, vt pro qualitate morbi alia atque alia medicina est conuenientior, ita etiam pro quantitate, grauitate inquam mali majori aut minori, major etiam medicina semper est aptior? Sanè vti tam attritæ nonnumquam sunt stomachi corporisque vires, vt etiam in morbis acutissimis, non nisi debilia admodum præscribenda sint pharmaca; ne nimiâ potionis vi, quod reliquum est caloris naturalis suffocetur: ita non rarò contingit, vt tam altum sit malum, virtusque pœnitentis tam

Qualitas criminum in pœnitentiis injungendis spectanda.

non vero semper quantitas.

Datur ratio.

exigua, vt satisfactione ingenti, medicinam inquam validam debilitandum potius sit quod reliquum virtutis est, imo extinguendum penitus, quam ad debitum vigorem nouamque vitam reuocandum.

Minoribus itaque medicinis prudenter admodum fouetur, & paulatim suscitatur is qui penè extinctus est calor; donec per alia atque alia virtutum exercitia, sensim excitatus, in maiora tandem assurgat, atque ad heroica satisfactionis opera, suam sponte enitatur. Non ergo, quamuis pro diuersa qualitate criminum, diuersa etiam pensanda esse remedia, rectè statuat Tridentinum, hinc tamen ad criminum quantitatem rectè argumentabere; quasi pro maioribus, maiores etiam sint poenae imponenda poenitentibus. Non inquam rectè sic argues: Major hic est culpa, ergo maior est requirenda satisfactio. Minimè vero, ex mente Tridentini non est hæc consecutio. Salubrem & criminis qualitati convenientem satisfactionem & medicinam exigit.

Aliquando autem grauior, longè est aptior; aliquando autem minor est salubrior, & poenitentis facultati (quod etiam prudenter attendi vult Tridentinum) id est ægrotantis virtuti, magis accommodata & accommodata. Quid autem, & cui poenitenti magis conueniat, id quidem Sancta Synodus Sacerdotum iudicio prudentiæque commisit; quos discrete asserit satisfactiones pro qualitate criminum, & poenitentiam facultate debere inungere, sed vt discrete subnectit, *prout spiritus & prudentia suggesserit.*

14.

Jam vero sic mecum rationem instituo. Concilium Tridentinum, Patres è toto orbe congregati sapientissimi & celeberrimi, Ecclesia inquam ipsa, & sponsa Christi mysteriorum omnium interpres fidelissima, Sacerdotibus satisfactionis in Confessionibus exigendæ negotium commisit, poenarum taxationem eorum prudentiæ concedidit. Quam ergo fronte priuatus quis, absque auctoritate vllâ, legitimis iudiciis audeat metas fingere, legemque præscribere, quam ei Ecclesia non imponit? Quis inquam, vni homini auctoritatem dedit conscendendi cathedram, vt declamabundè coram populo admordeat Confessarij legitime Jus dicentis sententias, maledictaque pro suo arbitrio taxet & constituat, quas Ecclesia vniuersa, nullius, nisi Sacerdotis re ipsa iudicantis, submisit arbitrio? Ego scilicet non capio, Christianam submissionem hæc qui conueniant. Et cum charitatem ore semper crepent, Charitati hæc qui competant, profusus

Temerarium est quod priuatus homo, Confessariis omnibus velle leges dare.

14.

sus non intelligo. An ergo existimant omnem adeo in Theo-
 logis omnibus extinctam esse prudentiam, ut discernere nequeant
 quid cuique poenitentium prescribendum sit medicina, nisi quam
 sua ipsi trutinâ appenderint. Aut Confessarios passim omnes
 tam profligata censent esse conscientia, ut quamuis sciant quæ
 satisfactio sit imponenda, eam tamen nolint exigere. Alteru-
 trum ab ipsis sane dicendum est, illudque tum addendum, so-
 los sese sapere; solos esse à quibus Sacramentorum recte admi-
 nistrandorum petenda sit institutio, & ne quid tantæ rei desit,
 istud denique edicendum non obscure, sed clare admodum
 ita ut omnes intelligant. Concilium ipsum Tridentinum nimis
 molli manu egisse haudrem, neque materiam hanc pro dignitate
 offensi Numinis pertractasse, neque Christi sciuisse mentem,
 cuius Vicarius in diuinâ jurisdictione exercendâ, non alia, Deo
 que magis honorifica dederit imperia. Hæc autem ita esse, or-
 thodoxis cum demonstrauerint, non erit quod opponam. Si
 autem pro dicendi lubentia tantum hæc & similia declamaue-
 rint, non erit etiam quod hisce diceris, magnopere perturberis,
 nisi quæ quidquam credam.

15. Caterum quod toties ingerant, Sacerdotes debere memi-
 nisse Christi Vicarias sese vires gerere, ac proinde & eius honori
 debere consulere, commodè id quidem monent. Ast ubi de-
 mum in Sacris paginis traditum inuenere, honorem Deo magis
 rem castigando peccatores comparari, quam eorum flagitiis in-
 dulgendo; ubi contraria omnia Deus ipse, ut superius vidimus,
 infinitis propemodum locis attestatur? Vicariam fateor perso-
 nam Christi Sacerdos gerit, sed misericordis & miseris homi-
 num indulgentis Dei personam inquam, non ex rigore iustitiæ
 irrogantis supplicia, sed ea etiam quæ sunt debita, minori mul-
 ctæ condonantis. Etenim ut ex D. Thomâ nunc retuli, *amici-
 tiæ est hæc reconciliatio*; non est autem amicorum, dum redin-
 tegratio infractæ amicitia initur, summa exigere. Aliquid ta-
 men exigitur, ut iustitiæ satisfiat; minus autem ab eo, qui ma-
 joris redditi amoris titulo, majori etiam amore est dignus. Hinc
 fit, ut qui majori poenitudine, ad sacrum hoc tribunal supplex
 Deo sit, majori etiam gratiâ habituali perfundatur; atque hinc
 majori etiam eum benevolentia Deus complectitur; unde tan-
 dem id consequitur, ut minor ab eo exigenda sit satisfactio.

utique
 si inuenit
 al. quibus
 & inuenit
 totumque
 est

Et quidem
 præter men-
 tem Tri-
 dentini.

Sacerdotes
 Vicarij
 Christi
 sunt, sed
 misericordis,
 non vero
 castigantis.

utique
 uti etiam
 inuenitur
 sup. eorum
 est
 utique
 utique
 utique

Quanta

*Spiritus
Domini est
Spiritus le-
nitatis &
miserico-
rdia.*

Quanta vero in hâc *amicitiæ reconciliatiõne* pœnitenti taxanda sit, id quidem statuet, totius causæ pacisque fanciendæ arbiter Confessarius. Statuat autem, vti Tridentinum docet, *quam Spiritus & prudentia suggerit*, & muneri suo, Deoque, cuius partes gerit, fecit satis. At quis Spiritus? sanè Spiritus lenitatis, spiritus misericordiæ, spiritus charitatis, cuius secunda apud Apostolum laus est, esse *benignam*; denique Spiritus Domini; non verò spiritus acrimoniæ, spiritus perturbationis, spiritus vindictæ; multò minùs spiritus arrogantia & elationis. Profectò genio suo Diuinum spiritum commensurans Elias naturâ utcumque asperior, & castigandis sceleribus assuetus, ingentem ventorum turbinem emolientem omnia inaudit, & Dei spiritum esse credidit. Ecce inquit Sacer textus, *spiritus id est ventus grandis & fortis, subuertens montes & conterens petras ante Dominum, & non in spiritu*, illo nimirum, *Dominus*. rursus *neque in commotione Dominus*, denique *neque in igne Dominus*. Et qui in turbulentis hisce, & cuncta discerpentibus elementis non erat Dominus, erat tandem *in sibilo auræ*, & quidem *tenuis*. Ita sanè est. Non omnis qui flammæ & vindictam spirat, Dei spiritus est; nec is qui tumultus excitat, perturbationesque animorum ciet, nec qui magno latus impetu cuncta subuertit & prouert, is est spiritus qui Confessariis debeat suggere, quantis sint pœnis peccatores Deo supplices castigandi; suggeret id spiritus *auræ tenuis*, spiritus prudentiæ, spiritus misericordiæ & lenitatis, spiritus denique humanæ fragilitati indolentis, amicæque pœnitentem miserum complectentis Dei. Hunc tu spiritum Sacerdos sequere, & Dei partes agis.

1. ad Cor.
13. v. 4.

3. Reg. 14.
v. 11. 12.

*Demon-
stratur im-
prudencia
eorum qui
dicunt sem-
per graues
pœnitentiam
in iungenda-
das.*

Magnus hîc se mihi aperit dicendi campus, si imprudentiam quorundam, Satisfactiones magnas ore vbilibet crepantium, ingentesque & præter rationem omnem exorbitantes pœnas, etiam pro exiguis & venialibus peccatis seuerissimè impositas luberet enumerare, & prudentium hominum iudiciis condemnandas exponere: neminem tamen lædere nunc est animus. Amicè verò hos tam seueros iudices interrogo, an magnæ prudentiæ id sit, ingentes pro venialibus peccatis multas injungere, cum magnorum Theologorum, Henriquesij imprimis, Fabri, Nunezij, & Cardinalis de Lugo sit sententia, omnem grauem pœnitentiam in Sacramento impositam & acceptatam, etiam per veniale

16.

Heuriq.
Faber.
Nunez.
Lugo de

Pæn. disp. 25. sect. 5. veniale peccatum promeritam, grauius & sub mortali vt ajunt scelere incurrendo obligare. Quis autem id credit, prudentis esse pro veniali maculâ expiandâ, præcipere medicinam quæ mortem ipsam neglecta inferat? Cum verò passim Theologi omnes statuunt, saltem de tantâ satisfactionis exhibendâ obligatione non esse dubitandum, dum multæ graues pro mortalibus peccatis pœnitenti præcipiuntur; rursum quæro, an id prudentis Sacerdotis sit, tam vrgentis præcepti materiam homini obicere, quem aut infirmitatis & inconstantia vitio, & virtutis non satis obfirmatæ defectu, aut negotiorum rerumque agendarum mole in alia omnia actum, ingentes illas multas contempturum, & deinceps habiturum suspicaris? Quid enim id est aliud, quàm in certissimum peccati mortalis periculum, pœnitentem sponte & destinato conijcere, & quidem sine necessitate profus vllâ? Sanè salubres satisfactiones imponi cum velit Tridentinum, cauendum est omnino ab ijs quæ prudenter iudicantur nocitura.

17. Hoc itaque prudens Sacerdos sibi præstitutum habeat, non quidem aut magnas semper, aut semper exiguas pœnas imponere, sed conuenientes & profuturas. Eadem quæ hunc ægrum curat medicina, alteri est exitio. Prudentis id est medici, profuturum quid sit discernere. Tantum id caueat Confessarius, quod prudentissimè monet Tridentinum, *ne alienis peccatis conuiueat, leuissima quedam opera pro grauissimis delictis injungendo.* Vbi diligenter expendendum est, non leuia opera grauibus delictis, sed leuissima grauissimis opponi. Leuissima autem cum pro grauissimis injungi prohibentur, non illicò graua pro leuibus, neque grauissima pro grauibus delictis passim & omnibus imponenda imperantur. Certè tanta potest esse peccatoris pœnitudo, tantus dolor animi per suspiria vberesque lachrymas sese explicantis, vt Sanctissimorum virorum exemplo, etiam leuissima pro grauissimis delictis satisfactionis opera, prudenter omnino, & ex mentè Tridentini, imponi possint & quandoque debeant: tum nempe, cum iudicant sese *peccatis non conuiuere*, neque *occasionem dare in grauiora relabendi homini*, qui à se commissa tam amare deplorat, & tam seriò detestatur. Quid, quod & non raro contigerit, vt leuissima multa imposita peccatori scelestissimo, occasionem dederit, amarissimè deslendi scelera, Non parua semper nec semper graues imponenda pœnitentia sed semper salubres.

Trid. sess. 14. c. 8.

Aliquando leuiora pœnitentia maximo pœnitentis fructu fuerit imposita.

eaque ingentibus exinde pœnis à se sponte exactis vindicandi; pudebat enim hominem vehementius suæ impudentiæ, quòd eum tam indignis modis Deum offendisset, quem post tot atroces injurias, experiebatur in Vicarijs tam facilem & benignum. Contigerunt ista sapiissime. Cerrè Spiritus Dei vbi vult agit, & sicut vult. Huic modum aut metam ponere, non est hominis; & in hac materiâ, non est prudentis. Extrema tantùm sunt cauenda. In medio residet, quæ virtutum moralium prima est, prudentia: hanc satisfactionibus erogandis & taxandis, adhibendam esse docet Tridentinum. Valeant igitur, certa & quidem acria semper medicamenta præscribentium voces: illudque ipsimet, dum alijs dant consilia, sedulò obseruent, ne dum vitant vitia, in contraria currant incauti, & nimio efferuescentis animi cæstro perciti.

§. III.

Graues pœnitentias pœnitentibus semper imponere, est contra praxim veteris Ecclesiæ, cuius usus male ex Canonibus petitur. Fallacia est, quòd contraria suadentes non distinguant inter pœnitentiam publicam, & priuatam: item inter voluntariam, & Sacramentalem. Hinc etiam perperam pro se afferunt antiquos Patres.

*Obiicitur
veteris
usui Eccle-
siæ,*

DUo adhuc restant argumenta, quæ feruori suo acriores illi pœnitentium Iudices prætendebant; antiquus videlicet Ecclesiæ primitiuæ usus, & Sanctorum Patrum placita. Etenim, inquit, satis constat non tam molli pœnitentes olim tractatos manu; utpote quibus non vnus tantùm diei jejunia, humicubationes, genuflexiones, & publicæ scelerum deprecationes imponebantur, sed & quadraginta diebus, imò & septem etiam annis, per dies statutos & interpolatos protrahenda præcipiebantur: prout passim videre est in sacris Canonibus constitutum, & in Ecclesiasticis historijs quotidiano vsu confirmatum. Nunc autem quid fit? ne vnus quidem diei jejunium imponitur; caterarum
verò

verò multarum, nulla est mentio. An non hoc est à pristina, & antiquâ Ecclesiæ praxi turpiter descivisse? cur autem ea in proximè iterum non reuocetur? Quòd verò ad Patres attinet; quid *et sancti Patres.* quæso in eorum commentariis occurrit frequentius, quàm pœnarum corpori infligendarum commendatio; quid adeò clamant, quàm carni indicendum acriter bellum, pœnitentiam agendam esse in cinere & cilicio, carnem denique omni impetu edomandam, vt spiritus saluus fiat?

19. Magno hæc animi studio, quin & ingenti laterum nisu, clamoribusque per hæc tempora fuere jactitata. Et quidem fidem non modicam apud non paucos reperere, quòd sanctitatis non vulgaris speciem hæc dicta præ se ferrent; auctoritatemque conciliaret non exiguam, vulgò credi hæc à præconibus ipsis in proprium corpus exerceri supplicia, ad quæ aliena membra tam feruide condemnabant. Vt vt sit, respondeo egregiam esse fallaciam, id quod de veteri Ecclesiæ vsu Sacris Canonibus expresso, contentiosè quidem, sed incautè satis, effutiunt. Populo certè imponitur, dum nullum inter publicas pœnitentias & priuatas discrimen faciunt, multasque promiscue easdem, ab Ecclesiâ exactas fingunt. Et vt fallacia detegatur, istud quidem dicendum est, olim, prout & nunc in vsu est, præter Confessarios, quos eo tempore Pœnitentiarios vocabant, & priuatim in Confessione peccata confitentibus jus dicebant, prout fuscè hæc docentur à Baronio; etiam externum tribunal viguisse, in quo de sceleribus publicis, & Ecclesiæ famam decoremque infestantibus, cognoscebatur pro causæ meritis admodum acriter; puta de adulteriis publicis, veneficiis, sacrilegiis, homicidiis, apostasiâ, hæresi, cæterisque id genus sceleribus. Neque nunc iurisdicção hæc extincta est, quàm ad Officiales suos seu Iudices, Episcopi solent deferre. Scelerum eiusmodi conuictis, fateor, pœnitentias, quas rigidiores illi Censores enumerant, imponi solitas, & seuerissimè exactas. Verùm, an à publicis illis multis, ad priuatas recta est consecutio? Et quæ in foro externo, in quo, ex iustitiæ rigore & ad exempla populofacienda, pœnæ imponuntur; ad forum gratiæ trahendæ sunt illico? Sanè, & nunc quoq; adulteri conuicti, concubinarij & ganeones publici, a sinis imponuntur, virgis coronantur, & sic totius plebis exponuntur deludibrio, vt cunctis fidelibus innotescat, quàm pudenda sint hæc scelera, quorum auctores Ecclesiâ tam rigidè castigat. An ideo prudens esset Confessarij, hæc aut

Pœnitentia alia sunt publica pro publicis sceleribus in foro externo injungenda: alia sacramentalis.

Ab illis ad hæc non est argumentandum.

his similia, adulteris sese clanculū accusantibus commendare, imò præcipere? Quòd si autem ex quæ nunc ab Ecclesiâ exiguntur à publicis peccatoribus multæ, ad priuatas Confessiones trahendæ non sint; cur veteres illas, publicis etiam & scelerum conuictis reis olim inflictas, in vsum priuatæ confessionis volunt reuocari? Sanè hodiernis Officialibus vsurpatæ pænæ, exomologesi nostræ adhibendæ si non sunt, neque etiam veterum illarum facienda erat mentio: aut si hæ sanctæ, quia rigidæ, quia feueræ; etiam hodiernæ seueritate suâ non carent, quas tamen nemo prudens, Confessionibus priuatis rectè dixerit applicari.

*Pœnitentiæ
Sacramen-
tales olim
Sacerdotis
prudentia
sunt com-
missæ.*

Dicamus ergo quod res est; à publicis pœnitentiis ad priuatas ineptè trahi exempla, eaque ineptiùs populo proponi. Interim vti rectè Egidius Coninck, *nulla iam lex est humana aut diuina, præscribens certam aliquam pœnitentiam, quam Sacerdos pro his vel illis peccatis debeat injungere; sed hoc relinquitur ipsius arbitrio.* Non quidem ita, vt pro libitu possit pro quibusuis peccatis grauem vel leuem pœnitentiam injungere; sed quia ipse est iudicare, quæ, omnibus perspectis, hîc *et* nunc pœnitentia sit injungenda. Est communis Doctorum, *et* eam aperte docet Innocent. III. c. Deus qui. 8. de pœnitentiis. De veteris autem Ecclesiæ confessariis, ita pergit dicere sententiam. Imò etiam olim simili modo fuisse permissum Sacerdoti, vt in hoc foro eam pœnitentiam injungeret, quam crederet hîc *et* nunc maximè expedire injungi, colligitur ex c. Mensuram 85. de pœnitentiis d. 1. Quare Canones pœnitentiales, qui habentur in quibusdam Concilijs, aut solùm erant pro foro externo (quamuis etiam in hoc, multum permittebatur iudicio Episcopi) vel non continebant præceptum, sed tantum quasdam regulas, quibus Confessarij possent instrui, vt eas quantum iudicabant commodè fieri posse, sequerentur. Ita ille, & benè. Certum est enim scelera quædam esse tam enormia, vt & prudenter, iis curandis, ingentes etiam pænæ præscribantur. Quando id fieri debeat, Confessarij id est despiciere. Prudentis verò non est, grauias semper applicanda esse remedia indiscriminatim edicere; neque satis sinceri Ecclesiastæ est, id Ecclesiæ veteris exemplo velle confirmare.

*Probatum
ex anti-
quissimis
Theologis.*

Quòd si verò doctissimus Coninck recentior cuiquam videatur esse, quàm vt de veterum Canonum vsu rectam possit ferre sententiam, veteres sanè dabo Theologos. Primò, Albertum Magnum, D. Thomæ Magistrum celeberrimum. Dicendum, inquit,

quod

20.

Coninck de
Sacram.
disp. 10.
dub. 3.
concl. 6.

21.

D. Albert.
in 4. dist.
20. a. 14.

quod numquam aperte præscribitur regula pœnitentiæ, in Confessione scilicet obseruanda. Sed tamen tria ad minus attendenda sunt; scilicet peccati qualitas, Contritionis quantitas, & Status pœnitentis. Canon autem non attendit nisi unum (nempe peccati qualitatem) & idè quod dicit, non est nisi quasi exemplare ad dirigendum in alijs, ad minorandum ab illo, vel illi addendum, secundum arbitrium discreti Sacerdotis, hæc tria solenniter obseruantis. Secundò, huic accedit

D. Bonau.
in 4. dist.
20. parte
2. dub. 3.

D. Bonauentura. Ita ait; *Canones instruunt in generali qualiter imponenda est pœnitentiæ. Sed dum descendendum ad singularia, relinquunt Sacerdotibus discretis qui considerent personarum circumstantias, accedentes ad Canones, sicut ad regulas directiuas.* Tertio,

S. Raym.
l. 3. sum-
mæ c. de
Pœnit.

si circumstantias personarum accuratiùs inquiris, quas attendendas esse vult D. Bonauentura, eas ejus sententiæ subscribens, describit S. Raymundus his cœuus. Ita loquitur in Summâ. *Videtur dicendum quòd arbitrio Sacerdotis pœne omnes taxantur, consideratis circumstantijs criminis, quantitate, & dignitate, & qualitate. Item, personæ dignitate, officio, paupertate, infirmitate seu debilitate complexionis, consuetudine, societate, lachrymis & deuotione; item*

Alensis 4.
part. sum-
mæ q. 31.
memb.
3. a. r.

regionis & temporis qualitate. Quarto, Alensis fatetur, suo tempore omnes ferè Confessores tenuisse, quòd omnes pœnitentiæ sunt arbitrariæ, id est inquit, in voluntate Sacerdotis posita. Ex quibus omnibus nunc patere existimo quid Theologorum antiquissimi de veteris Ecclesiæ Canonicis pœnitentijs senserint, & quo pacto eas in occulto Pœnitentiæ foro confitentibus iudicauerint applicandas.

22.

Non minor subest fallacia alteri, quod ex SS. Patrum auctoritate petebatur, argumento. Seriam inquirunt, pœnitentiæ commendabant hi; corporis macerationes magnas, frequentia jejunia, & his similia populo proponebant, & ad ea fideles omnes hortabantur impensius: quin ergo adhortemur & nos? Perplacet profectò consilium; & mox eò connitar non frigidè. Verùm despiciendum id est priùs, de quibus pœnitentijs Patres egerint. Id quidem frequentissimè in sacris eorum homilijs inuenio, quòd peccatores ad vindictam criminum de se sumendam sint adhortati; iisque stimulos indiderint, vt non vulgaria tantùm supplicia exercerent, sed & insigniter etiã pieque in se sæuirent. Neque verbis modò, verùm etiã exemplo fidelibus in tam sanctæ crudelitatis exercitio, eos præluxisse, innumerè

Patres vo-
luntarias
pœnitentijs
populo com-
mendarunt.

*de grauius in Sacra-
mento sem-
per injun-
genis,
numquam
egere.* testantur historiz. At suasisse Sanctos Patres Confessariis, vt passim & generatim ingentes atrocesque pœnas imponerent, eoque ad seuerè cum pœnitentibus agendum fuisse adhortatos, hoc sanè nusquam legi: & quàm contrarius fuerit hâc in parte Patrum sensus, mox videbimus. Quâ igitur rursus mente eâ quæ à Patribus, de pœnis multisque voluntariis seu sponte suâ à peccatore assumendis dicta sunt, ad pœnitentias à Sacerdotibus imponendas, perperam & falsò distorquentur? hoc certè non est bonâ fide agere.

*Sacramen-
talis pœni-
tentia obli-
gat sub
peccato.*

An ergo inquires perinde habendæ non sunt pœnitentiæ, siue in Sacramento præcribantur, siue vindicandis sceleribus spontè assumantur? Minimè gentium. Nam vt antè dixi, pœnitentiæ graues à Sacerdote impositiæ, præcepti vim habent, obligationemque secum trahunt, cui sine noxâ lethali non satisfit. Hinc quamuis non prudenter tantùm, sed & sanctè, hominum torpor, ad insignem corporis sui contemptum & odium, castigationes, & verbera quinimo rebeli carni infligenda, à Diuini verbi præconibus excitetur: imprudenter tamen, hæc à Sacerdotibus passim injungenda esse, nullo habito sexûs, ætatis, personarumque discrimine, in pulpitis declamatur. Illæ enim vt liberè assumuntur, ita & omittuntur sine villo peccato, etiam minimo. Hæc verò quia legitimè sunt præscriptæ, præcepti vim obtinent: & quia graues sunt, sine mortali peccato non negliguntur. Quantæ autem id esset imprudentiæ, vbi mihi tam perspecta est humana infirmitas, & vbi me inter homines aut agrestes, aut classiarios, aut milites, aut inter eos versari video, quibus non tantus est pietatis, rerumque diuinarum sensus, iis nouum præcepti genus imponere, cui prudenter, imò ferè certò metuere debeo, obedientiam non esse præstandam? quasi verò præcepto meo, in re sibi difficillimâ, morem gesturi sint ij, quibus de Diuinis legibus obseruandis, non diuturna est curatio. Effetne hoc hominem peccatis eripere, & non potiùs noui criminis ansam dare?

*Imponendo
leuioribus
consulitur
iis Sacra-
mento.*

Dicam igitur cur grauioribus pœnis generatim abstinendum sit, nec sine magnâ prudentiâ, pro pœnitentium facultate, vt ait Tridentinum, & dispositione, denique tantùm vbi profutura sunt, irrogandæ; moderatæ verò cur passim adhibendæ. *Primè* quidem vt hominum imbecillitati succuratur. *Secundò,*

vt

vt ipsi Sacramento consulatur; neque ab immodico Iudicis, illud, jurisdictionemque suam administrantis exercitio, quidquam detrimenti patiatur: patietur autem indubitatim, & ex rigore odium feret: odiosa enim semper hominibus est austeritas. Quis autem bono animo rem complectitur, cui non afficitur? & quis afficitur rei odiosa? Deterrebuntur itaque passim homines, & à medicinâ auertent animum, quam sibi præstunt tam amarâ. Huic incommodo cauet Confessarij benigna moderatio; cuius est, non pœnitenti tantum, sed & Sacramento à Christo instituto, ejusque bono nomini & famæ consulere. Christi autem præcipua fama semper fuit, *quia hic peccatores recipit*; infringitur autem hæc fama vehementer, imò tandem euanescet, vbi Christi Vicarius peccatores sic recipit, vt à Sacramento deterreat, & tandem fuget. Neque dicashæc fieri pœnitentium vitio: nam vt ita sit, vitii etiam occurrendum est ne ingrauescant: maximè cum id saluo Sacramento, seruatâque Christi auctoritate & jurisdictione potest fieri, vti in hoc euentu prorsus potest; ac proinde cum possit, debet.

Luc. 15.
v. 2.

25. Tertio, scin cur moderatæ multæ pœnitentibus sint passim imponendæ, & ab exorbitantibus communemque modum excedentibus abstinendum? Dicam. Ne fortè malè multatus à te pœnitens, oculos erigat, eosque in Iudicem suum coniiciens, miretur hominem erga seipsum tam benignum & moderatum, alienæ infirmitati tam parum indolescere. Rursus ne & tibi dictum sit id, quod Christus hypocritis olim, legisque Diuinæ seueris nimiùm assertoribus apud Matthæum ingerebat, *Alligant enim onera grauiâ & importabilia, & imponunt super humeros hominum; ipsi autem digito suo nolunt ea mouere.* Quam quidem sententiam nullo modo auderem ego, rigidis illis pœnarum infligendarum arbitris applicare, nisi eandem iis jam dudum admouisset D. Chrysostomus, in opere imperfecto in Matthæum. Et quamuis is commentarius incerti dicatur auctoris, tamen eum Chrysostomo attribuunt Sixtus Senensis alique quàm plurimi. Quidquid sit, antiquissimus est hic auctor, & celeberrimus, & cui quid suo tempore, id est in veteri Ecclesiâ mos ferebat, proculdubio erat satis superque perspectum. Sententiam, quod materiæ nostræ sit admodum opportuna, totam, licet longam, eius verbis do, Expendat Lector singula. Cum itaque exposuisset

Scandalizantur fideles sæpe ex nro Confessarij rigore.

Matth. 23.
v. 4.

Veteris Ec-
clesia in
Sacramen-
talibus pœ-
nitentiis in-
iungendus
mos à D.
Chryso-
stomo decla-
ratur.

fuiſſet Scribarum & Pharifæorum ſubdolam in exponendâ lege
vaſritiem, ore nimirum plenisque buccis magna quædam & ar-
dua concrepantium, & dura mandata interpretatione ſuâ popu-
lo deferentium, quæ ipſi *ne modicâ quidem ex parte* implerent:
tum ad rem noſtram ita progreditur eleganter Chryſoſtomus,
Secundum conſequentiam autem, tales ſunt etiam nunc Sacerdotes,
qui omnem juſtitiam populo mandant, & ipſi nec modicè ſeruant:
videlicet non ut facientes ſint juſti, ſed ut docentes appareant ju-
ſti. Tales ſunt & qui graue pondus venientibus ad pœnitentiam
imponunt; qui dicunt, & non faciunt: & ſic, dum pœna pœni-
tentiæ præſentis fugitur, contemnitur pœna peccati futuri. Si enim
faſcem ſuper humeros adoleſcentis, quem non poteſt bajulare, poſue-
ris; neceſſe habet ut aut faſcem reiiciat, aut ſub pondere confringa-
tur. Sic & homini cui graue pondus pœnitentiæ ponis, neceſſe eſt
ut aut pœnitentiam tuam reiiciat; aut ſuſcipiens, dum ſufferre non
poteſt, ſcandalizatus amplius peccet.

D. Chry-
ſoſt. in o-
pere im-
perf. in
Matt. ho-
mil. 43.

Vbi Deus
benignus,
Sacerdos
non ſit cru-
delis in a-
liis,
ſed in ſe.

Deinde, *etiſi erramus modicam pœnitentiam imponentes; nonne* 26.
melius eſt propter miſericordiam rationem dare, quam propter cru-
delitatem? Vbi enim Pater-familias largus eſt, diſpensator non debet
eſſe tenax. Si Deus benignus eſt, ut quid Sacerdos eius auſterus?

Viſ apparere ſanctus? circa tuam vitam eſto auſterus, circa alie- 27.
nam autem benignus. Audiant te homines parua mandantem, &
grandia videant facientem. Talis eſt autem Sacerdos qui ſibi in-
dulget, & ab aliis grauiâ exigit, quemadmodum malus deſcriptor
tributi in ciuitate, qui ſe releuat & onerat impotentes. Ita auctor
hic grauiffimus. Ulcus tetigit, & prodiit quod intus latebat pus.
Utinam hoc cultro perſtrictus abeat quorundam tumor!

Exemplo
S. Xauerij.

Sanè ſi ex charitatis quâ flagrant lege, ſatisfactionem offenſo 28.
Numini à pœnitentibus præſtari appetant tantopere, ad manum
eſt S. Franciſci Xauerij, magni admodum juris Diuini propug-
natoris exemplum. Cum enim ſcleratiffimus quidam c claffia-
riorum fœce pœnitens ad pedes eius acceſſiſſet, & enormium,
longoque uſu inueteratorum criminum ſefe feciſſet reum; ho-
mini cæteroquin perdito, Pater & Aue recitandum injunxit pa-
ter optimus: & debitæ à reo ſatisfactionis onere in humeros ſuos
ſublato, in nemus proximam ſecedens, flagris tam immaniter
eos proſcidit, ut ſanguine totus diſfluere. Ita nimirum aliæ
infirmiſſimæ indolebat, ut pœnâ ſclerum in ſe tranſlatâ, ſatisfa-
ctionis

Turfel. in
vita S. Xa-
uer. l. 3.
c. 15.

tionis flagrorumque suo corpori inflictorum fructum, pœnitenti penitus transcriberet : sic nempe, & iustitiæ Deo debitæ, & misericordiæ pœnitentibus impendendæ, factum est satis. Habent hîc quod imitentur in Xaueio rigidi diuinæ iustitiæ exactores ; seueritatem nempe & benignitatem. Hanc, humano, id est, misero & miserando præstent generi ; illam, strenuè alacresque in se exercent ; & non apparebunt tantum, sed erunt vere sancti, cum sancta hæc facient. Aliis interim Sacerdotibus legem ne importunè dicant ; liberum, & prout ipsis à Christo est concreditum, jurisdictionis suæ exercitium relinquunt : neque de eorum prudentiâ multum sint solliciti ; aut se præ iis sapere existiment. Et si sapientes videri volunt, *sapiant sanè sed vt D. Paulus monet, ad sobrietatem.*

Ad Rom.
12. v. 3.

§. IV.

Pœnitentiæ vltroneâ commendantur. Ac imprimis ostenditur, prorsus rationi conforme esse, vt corpus criminum complex, etiam sit consors satisfactionis, & pœnas meritas luat.

29. **N**equè verò hæc eò à me dicta sunt, quasi si carnis corporisque in sua commoda nimium inhiantis, statutum mihi sit patronum agere, illudque pœnis peccato debitæ penitus eximere. Aliud enim prorsus est, quid à Iudice in Sacramento pœnitenti præcipiendum sit, aliud verò quid sponte suâ peccatorem agere conueniat. Neque dum benignitatem Sacerdotibus commendamus, odium sanctum quò se pœnitens persequatur exercendum esse, imus inficias. Quin ex aduerso, id nunc contendimus, seueritatem peccatoris, iudicis misericordiâ debere exacui ; & tantò majora à se exigenda esse supplicia, quantò plura, infirmitati humanæ, per meram misericordiam, videt condonari, aut ab eâ non exposci. Et hæc quidem Sanctorum hominum fuit antiquissima consuetudo ; corpus seuerissimè affligere, carnem macerare, eiusque petulantiam, ne rursus lasciuat, flagris etiam lorisque, asinum in modum, penitus affligere.

Pœnitentiæ eò grauioribus sponte assumenda, quò minores imponuntur.

Non reli-
giosis tan-
tum sed &
secularibus
conueniunt
corporis ca-
stigationes.

gere. Quod si autem innocentissimis viris hæc ad virtutem retinendam, animæque negotium procurandum, præclarissima fuerunt adiumenta; certè non video quâ ratione bonâ, nos qui tam indignis modis Numen offendimus, ea possimus excutere, aut ab iis corpori admouendis, carnem exculare. Enimuerò ad eremos solas & religiosa claustra amandanda sunt cilicia & ieiunia: isthic scilicet sunt lasciuia incitamenta, isthic sunt illecebæ, isthic sunt homines ex carne compacti & sanguine, reliquum verò orbis virtus inhabitat; spiritu uiuitur; caro prorsus subacta est, imò extincta; neque quidquam in mortales hosce, sanguis aut corporis impetigo habet dominij. Aërij prorsus sunt; & sic credo non *castigant cum D. Paulo corpus suum*, ne fortasse cum istud imperunt *verberent aërem*. Certè non satis percipio, ex quo capite, maior aut D. Paulo aut religiosis hominibus, quàm commune genus vitæ ducentibus, incumbat corporis edomandi obligatio.

1. Cor. 9.
v. 26.

Probatum
ex istis
in
quo omnes
sumus.

Scio equidem multa pro se corpus opponere; jam enim adolescentiam & necdum satis confirmatas vires; jam verò morbis afflicta; jam senectutem & deuexam ætatem; jam molem negotiorum; jam hominum obloquia, & diçteria; jam statum dignitatemque obuoluet; & sese, cum hæc dixerit, creder egregiè pro suâ causâ perorasse. Reliqua quidem nunc prætereo; at istud quod de statu insufurratur, non dissimulo. Enimuerò quisquis es, seu Princeps in republicâ seu vile mendicabulum; an statum peccatoris reipsâ non obtines, aut non obtinuisti aliquando, aut certè in eo nonne es loco, vnde ad eum statum possis turpissimè facillimèque deuolui? Hoc autem si fateris, quâ fronte satisfactioni te pœnisque exemptum vis, cum in eo sis statu cui pœnæ illæ prorsus conueniunt? Satisfactionem inquis Deo non denego; meritas à me pœnas esse, lubens confiteor. At quandoquidem tota, non culpæ modò, sed & omnis pœnæ peccatis debita, per pœnitentiam animi, actusque Contritionis sapius iteratos, condonatio auferri possit; vt quid jam de exterioribus afflictationibus corpori admouendis sermo instituitur, quasi priora non sufficerent satisfactioni integrè adminicula? Rectè mones: rationem dabo quantocius. Istud interim clarè video, profectò te corporis tui patronum esse egregium, & in malâ causâ propugnandâ, caussidicum non indifertum. Animæ itaque

30.

Contra
omnem ra-
tionem est
carnem sa-
tisfactioni
eximere to-
tamque a-
nima com-
mittere.

itaque totum satisfactionis pondus vis imponere; corpus verò penitus eximere: mororibus opplenda est anima, corpus verò desuauandum est tenerrimè: & ita demulcendum, vt ne in fletus abeat, & emarcescat. Ita tu agendum censes: at videamus quàm perperam.

31. Etenim dic amabo, si fors ita tulerit aut malè agendi libido, *Probatur exemplo.* vt duo in idem facinus latrociniumue conspirarint, herus exempli gratiâ & seruus, atque vnus alteri subsidio fuerit: exinde verò à Prætorè comprehensì, ad supplicium à Regio actore postulentur: an eo in euentu, Iustitiæ factum fuerit satis, si herus meritas pœnas soluat, seruus interim absoluat? Deinde, quid si bona pars prædæ ex latrocinio abactæ seruo obtigerit, an non indignior erit castigato Domino serui impunitas? Magis rem vrgeò. Quid si longè maxima spoliòrum portio seruo obuennisset, & non nisi exigua, heri vsibus, cessissent reliquæ: quis non iustitiæ plurimum detractum diceret, quantumuis heri supplicio vindicatæ? Nec hîc adhuc hæreo; vltèrius promouenda est res. Quid si herus tam atrox facinus designasset, tantum importunis serui precibus imò & exostulationibus adactus; conquerentis nimirum, nihil sibi dari pro obsequiis impensis stipendii; atque adeò postulantis, vt suâ gratiâ latrociniiis tantisper operam det, cuius fructus pro tot laboribus impensis sibi totus cederet. His, inquam, alijsque instigationibus compulsus herus, manus si dedisset & seruo & sceleri: nonne indignam esse planè rem clamarent omnes recta sentientes, si hero in furcam abacto, seruus interim malorum omnium & origo & complex, & vsurarius prædarum, non tantum nihil luat, sed & viuat opiparè, bonis incubans malè partis: iisque, malè mulctato domino, perfruatur interim bellè & suauiter? Sanè si peccatum est vtrimque, non distinguantur pœnâ rei; & si rectè & ex æquo statuendum est aliquid, & pœnæ eximendus alteruter, absoluat herus, puniatur seruus; vt qui ex scelere plus retulit commodi, acerbiores etiam à iudice pœnas ferat.

32. Nunc vos appello, iudiciumque vestrum exquiro. Fertè sententiam sed rationi, quâ vos præditos esse non ineptè gloriâmini, & conscientiæ rectæ non difformem. Plerumque dum patramus scelera, Deique mandata dum excutimus, honoris Majestati tantæ debiti inuales inuisti & prædones; corporis adminiculo *Applicatur comparatio.* id ag-

*Corpus fa-
rè scelerum
omnium est
complex*

id aggredimur & exequimur: carnem habemus criminum com-
plicem: neque exigua ei de confecto scelere cedunt lucra. Quid
ergo tibi in mentem venit, vt cum facienda est injuriæ Deo illatæ
restitutio, velis prætractè tu, miseram animam malè parta gaudia
pœnitundine & tristitiâ eluere; corpus interim nihil quidquam
perfoluere; imò & voluptatibus, per summam injuriam compara-
tis, quietè admodùm delectari? An non id æquitas exigit, pœnas
non minùs infligi corpori, quibus furtiæ voluptates amarescant,
quàm animæ dolorem inuri, quò malè comparata gaudia tandem
desipiant? Quæ demum lex, in eadè culpâ, complicem eripit
supplicio? & cui priuilegio aut fundamento causam corporis su-
perstruis quam temerè propugnas? Carnis fortasse nobilitatem
& præstantiam afferes, eique aliquid condonandum dices: Quasi
verò nesciremus nos, ex quâ sæce, ex quibus sordibus stirpem tra-
hat: quasi verò terræ pondus vile & inutile, ex quo erutam jam
olim nouimus, omnem memoriam effugisset. Nouimus sanè lu-
team originem. Et tu terræ massam nobilissimæ cœlestique animæ
audes anteferre, mancipium Domino, lutum spiritui, terram cœlo?
Etiam conferre, quæ conditione tam sunt disparata, manifestum
est piaculum, intoleranda animæ injuria.

*corpore ce-
dunt præci-
pua scelerū
emolumenta.*

Deinde si benè facinus attendis, non complex tantùm latroci-
nii fuit caro, sed ejus ferè causâ commissum est; & præcipua ex
perpetrato crimine, ad ipsam deuoluta sunt emolumenta. Quid
enim? Sanè vt corporis curet cuticulam, faucibusque & abdo-
mini vt sit non malè, crapulæ totos dies indulget porator strenuè.
Corpori vt sit suauiter, libidinibus miscentur omnia. Corpori
alendo & exornando ne quidquam desit, per summam injustitiam,
fas omne & justum habetur despiciatui, perjurijs & rapinis datur
opera, nec quidquam inhonestum censetur quod est vtile. Corpori
comendo & exornando, bona pars vitæ impenditur, vt lasciuiat
nimirum tantò impudentiùs, quantò sibi videtur elegantius. De-
nique corpori cedunt omnia; & huic vt complacere, abjicit sese
anima, & se in omne scelus projicit, neque veretur Deo bellum
indicere, eius honorì manus injicere, & diuinas gazas quodam-
modo deprædari. Interim committitur scelus. Peracto latroci-
nio, ius suum prosequitur Deus, iniuriæque commissæ satisfac-
tionem expetit. Ita sit inquis tu, facinus deprecetur anima; lu-
geat illa, & quod debetur, sanè perfoluat. Itanè verò? Et nulla
illati

illati damni à corpore reparatio exhibebitur? commodè viuet caro. & deliciis quinimo dilluet, eo ipso temporis articulo, quo pœnitens facti anime dolore dissoluitur, & res suas cum offenso componit Deo? Quis tantam inæqualitatem æquus ferat? Et tamen humana iniustitiam tam enormen tolerat ratio, eamque, sibi semper indulgens natura, excusat.

34. Verùm quantumcumque corpori tuo patrocineris, eiusque caussam mordicus tuearis; quâ tandem ratione id pœnis persoluendis eximes, si legitimè constet, pleraque scelera, ex eo promanare, eoque incentore committi? Quid si ostendero, carnis effrænes appetitus esse, qui voluntatem instigant, verecundiam peccatis adimunt, reuerentiam Diuinis legibus debitam infringunt, mentem denique agunt in transuersa, animosque faciunt per summum nefas audendi omnia? Sanè disertè id testatur D. Jacobus. *Vnde, inquit, bella & lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris?* & clariùs, hominis corrupti personam præferens D. Paulus; *condelector, inquit quidem, legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis mee, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Tantam itaque carnis insolentiam in humanâ naturâ dum agnoscit Diuinus Paulus, non abs re exclamat, sortemque tam miseram deplorat; *infelix, inquit, ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius.* Expediri se à tam rebellis corpore efflicti postulat Apostolus; infelicem se conqueritur tam petulanti carni quòd inhæreat; ab hâc bella, ab hâc lites omnes exsurgunt, quibus & Deus impetitur, & infelix anima irretitur: & tamen dum de placando irato Numine agitur, excusatur caro, multis eximitur; & quidem, quod est prorsus intolerabile, ab ipsâmet animâ corpus defenditur. In ipsam tota reconciliationis faciendæ, expiandorumque scelerum moles conjicitur à corpore; & imbellis mens, præ merâ ignauâ, factum probat, desidemque carnis mollitiem, quam corpori exprobrare debuerat, rationibus etiam tuetur vt pœnæ eximat.

Corpus animam ad peccandum instigat.

Vt quid ergo pœnæ criminibus debita eximitur, & quidem ab ipsâmet animâ?

35. Sit ergo prout vis: ingemiscat offensus anima; illam scelerum pœniteat; doloris illa pondus ferat, & sic demum pro illatis Deo injurijs satisfaciat: verùm de pœnis corpori admouendis,

Malè prætoritur carnis imbecillitas.

dis, non fiat posthac mentio, nimis enim tenera est caro, quàm vt jejuniis eneruetur; vires non sufficiunt abstinentiæ, quæ tamen ad explendam libidinem nimio plus suppetunt; genuflexiones sunt incommodæ: flagra, & cilicia nec nominanda quidem sunt; ne vel ad solam tanti supplicii memoriam contremiscat caro tenellula. Neque de vigiliis quidem aut humicubationibus, frigore aut æstu perferendis, cogitandum quidquam: nimis aspera hæc sunt & immania, nec ea quæ corporis imbecillitati commensurentur. Interim vt Deo rebellet, corpori nec vires desunt, nec audacia: vt libidibus vacet, & lasciuat; neque noctes insomnes ducere, nec pro fornicibus, æris inclementiæ expositum pernoctare, admodum est difficile; iucundum quinimò censetur & lepidum. Sic viuimus; ad scelera fortes & projecti; ad virtutis exercitia imbelles & teneri. Atque hic quidem carnis corruptæ est genius, omnia ad se iucunda trahere, omnia verò aspera à se amoliri; peccati fructum ad se deriuare, satisfactionem verò, cum Animâ nequidem partiri, sed totam ei committere. Age nunc corporis patrone haud impiger; si ratione metiris omnia; edic tandem an hæc rationi consona sit agendi ratio. Et tamen sic passim agimus; corpori abblandimur, corpus desuauiamur, corpus defendimus; & contra animam, id est contra seipsam, pro corpore pugnat ratio. An non hæc demum insignis est demencia? Ex quibus omnibus id tandem conficio, complicem sceleris, satisfactioni nullo modo debere eximi; quinimò adigendum vile mancipium vt pœnas det, satisfactionisque sit confors caro, vtpote quæ ad inferendam injuriam, operam contulerit ex condicto.

qua ad peccandum sitis est robusta.

§. V.

*Pœna corporea, securissima sunt satisfactionis via: nihilque
iis præstantius ad auertenda irati Numini flagella, a-
loquin infligenda etiam in hac vitâ.*

36. **V**erùm inquis, cùm Contritio seu dolor animi tam eximius esse possit, vt non culpæ tantummodò, sed & pœnarum omnium gratiam à Deo referat; cur præter dolorem animi, pœnam quoque corpori inurimus? Sanè contritioni incumbendum esset impensius; & quod domandæ exercendæque carni studium infumitur, vtiliori longè operâ in actus illos egregios animæ conferetur. Ita quidem tu. Et vt video, constitutum tibi est, corporis caussam agere, illudque omni prorsus eximere incommodo. Hoc verò si agis, en alteram tibi corporis liberandi pando viam, imprimis facilem & jucundam. De satisfactione in hac mortali vitâ Deo exhibendâ, nulla tibi sit curatio; viue hilari-
ter, & placidi tibi fluant dies; tantùm tecum statue, te, quidquid à te pœnarum pro peccatis commissis iure exigitur, in alterâ demum vitâ, purgatorios inter ignes, subiturum, debitaque omnia expuncturum isthic fidelissimè. In purgatoriis ignibus sanè nihil quidquam patietur corpus; & sic, carnem omni pœnæ subtraxeris, & tamen satisfactio plena, eaque quæ iure rigidissimo potest exigi; Numini exhibebitur. Ecquid aridet hic tam placidus cuticulæ curandæ modus? quin ergo eum rebus tuis admoues? facilior enim hæc longè est satisfaciendi via sine corporis incommodò, quàm si contritionis actibus ciendis vaces; quorum reliquiæ satis asperæ, non rarò in corpus ipsum solent redundare, non sine carnis incommodo. Ut quid igitur tantillo etiam doloris sustinendi periculo, tam teneram carnem committere, vbi tutior est pœnas omnes corporeas euadendi via?
37. Ne tamen adhuc quidquam præceptis statue. An enim, si vel Contritionem, vel per ignes purgatorios, pœnis debitis vis satisfacere, non vidēs illico te argumentis omnibus premi, quibus præcedenti paragrapho, ineptiam tuam demonstrari? Istud enim rursus vrgeo, quâ fronte aut quâ mente tu carnem satisfactio-
Contritione potest deleri omnis pœna reatus.
Potest etiam peccator omnem satisfactionem deferre usque ad alteram vitam in purgatorio.
Sed iniquum est: nihil ad satisfactionem conferri à corpore.

ctioni subtrahis, sociam criminis; totumque reconciliationis negotium à solâ mente vis confici, cum corpus etiam, vt mox dicam, non exiguos possit, dissoluendis debitis, sumptus in commune conferre? Certè symbolam quam potest adferat, & pro ratâ portione, vbi debita sunt communia, partem soluat: quod imprimis æquum est, & rationi consonum. Ut quid enim ab animâ exigitur, vt ipsâ aut mentis aciem ita intendat, vt vnum Contritionis actum, aut certè iteratis vicibus plures excitet, per quos pro pœnis debitis satisfiat, cum nec anima sola in ære alieno sit, vt iam sæpius dixi, & cum præterea non ita constare possit, ecquando interiores illi animi actus ritè efformentur; ac proinde non adeo certus sit pœnitens, an aliquam debitorum partem expunxerit? contrâ verò pœnæ corporeæ manifestæ sint & sensu ipso percipiuntur, neque vllam dum à corpore sunt exactæ, satisfactionis, alicujus saltem, Deo datæ, relinquunt dubitationem? Deinde si multiplicatis internis virtutum actibus, tota debita pœnæ moles aliquando tandem potest exhauriri; sanè multò id fiet citius, si duabus ex partibus fiat offensæ illatæ restitutio; dolore scilicet interno animi, & corporis præterea externo cruciatu.

Neque tam certa est satisfactio per actus internos data, quam per actus externos pœnitentia.

Licet peccator satisfactionem differat dandam in purgatorio, Deus id non tenetur acceptare.

Et sic sæpe in hoc mundo peccata condonata castigat.

Quod verò de satisfactione totâ omnino differendâ, & purgatorij flammis committendâ dicebatur; fateor quidem iis tandem debitorum omnium, quorum post hanc miseram vitam erimus rei, summam expiandam, & quidem vsque ad nouissimum quadrantem. Itaque ad hanc tam acerbam, omnibusque quas nobis animo possumus effingere, grauiorem pœnam, si tibi creditorem Deum procrastinare libeat, eoque animam vt debitis satisfaciat amandare; per me id quidem licet. Sed vnde id tibi constat, acceptandam à creditore comperendinationem debiti? Quis tibi fideiussor fidem fecit, flagra dum adhuc in viuis es, non expediturum Deum, factæque sibi injuriæ pœnas, suâ manu de te non sumpturum, quas tu, tam parum de placando Numine sollicitus, in aliâ vitâ tantum persoluendas, temerariè comperendinas? Differs quidem solutionem tu; sed Deus fortè nō let differri. Etenim id nemo negauerit, plurimorum quæ quotidie nobis ingeruntur malorum causam, è peccatis non de integro quoad pœnam condonatis, ortum ducere. Hæc morbis modò, modò fortunarum jacturâ; modò charorum pignorum, vt in Dauidē vidimus, morte, aliis modò atque aliis immixtis cladibus, feuerum



feuerum Numen jurisque sui imprimis tenax, sæpe vlciscitur: neque si in purgatorii ignibus integra præstanda est solutio, semper ei collibitum est expectare: & sic in præfenti vitâ, per vim quodammodo solutionem extorquet, quam sibi videt sponte non offerri. Quæ cum ita sint, debitoresque nos agnoscamus; vt quid debiti præstationi intercedimus? Et si corporis commoda amamus tantopere, cur iratam Dei manum non auertimus, dum præuertimus? Nescis interim quâ te parte sit aggressurus Deus; fortè eâ te impetet, quâ maximè dolebit. Quantæ igitur insanix est, voluntarias, & quas tu tibi feligere potes, pœnas auersari; & se interim offensi Numinis vindictæ committere, cui nihil adeo perspectum est, quàm quâ partè ferendus sis, vt pœna sit acerbior, tibi que doleat non perfunctoriè. Itaque tu pœnas tuâ sponte tibi statue: Dei manum præoccupa; & corporis commodo si studes, corpus tu ipse volens castiga, ne castigetur nolente te.

*Itaque tuâ
Deum præ-
ueni casti-
gando cor-
pus.*

39. Et vt languorem omnem excutiam, stimulosque subdam tam sancto odio; istud non verebor subnectere, quod fortassis alicui nouum videbitur; non esse alium ad satisfaciendum Deo, iustamque eius manum à nobis amoliendi modum tam expeditum & opportunum, quàm quæ à corporibus voluntariè expetuntur, iisque inuruntur pœnæ. Sic vt neque orationes profusæ, nec eleëmofynæ effusæ, neque misericordiæ præstita opera, adeo tantùmque satisfactionem promoueant & debitas pœnas expungant, quantum hæc, quæ tantopere commendamus, pœnitentiæ externa exercitia. Neque aliam dictis rationem affero, quàm Concilij Tridentini indubitatam auctoritatem, & verba manifesta. Ita habet, dum pœnitentiæ externa opera Ecclesiæ commendat: *neque verò securior vlla via in Ecclesiâ Dei vquam existimata fuit ad amouendam imminentem à Domino pœnam, quàm vt hæc pœnitentiæ opera, homines cum verò animi dolore frequentent.* Ubi autem nulla via est securior, sanè omnes huic necesse est cedere, & hanc, extra dubitationem esse securissimam. Egregiam enim uerò amicæ in se crudelitatis commendationem, ingens encomium! quod quidem peccatores miseri, multisque per totam vitam contractis debitis irretiti, ob oculos habere par est, si aliqua persoluendi ipsis est cura; non aliud esse securum magis satisfactionis genus, quàm quòd è corporis afflictatione

*Securissi-
ma hæc est
ad placan-
dum Deum
via.*

Trid. sess.
14. c. 8.

X x x

petitur.

petitur. Adeoque non aliàs magis tibi es pius, quam dum naturæ vidèris impius.

S. VI.

Etiamsi nulla pœna pro peccatis persoluedæ restarent, caro tamen afflictationibus exercenda, ob multiplices fructus quos ea seueritas secum fert. Fructus hi exponuntur.

Animus, peractis bene cum Deo rebus, debet nihilominus corpori subiaceri, illudque castigare.

Hactenus de satisfactione exhibendâ, eâque pro ratâ portione cum corpore diuidendâ, fuimus solliciti. Altius nunc promoteo, actionemque corpori indico ulterius. Demus inquam sanè, animam ita cum Deo rationes suas instituisse, tantâque pœnitentia detestatum fuisse patrata crimina, ut non culpa modò condonata jam sit, sed pro pœnis omnibus sic satisfactum, ut nullis prorsus sit in debitis, nihilque pœnarum persoluedum restet: an ideo censes tu, animam debere corpori acquiescere, quod bellorum omnium & litium incentor fuit & origo? Fateor, pax cum offenso Deo jam coaluit, res acta est bene & sanè feliciter: verùm, an quæ componendis omnibus tantam defatigationem sustinuit anima, cum carne ager pacificè, per cuius petulantiam turbatum fuit & domi & foris? Periculosa profectò, atque admodum temeraria est hæc dissimulatio: malè ageretur ab animâ, si agat flaccidè.

40.

Exponitur id per exemplum.

Etenim si per seruorum ancillarumque inter se debacchantium & pergræcantium petulantiam & proteruiam, flammam temerè per jocum circumductam, ædes conceperint; quæ tandem patris-familias industriâ & accurrentium labore sint sopitæ: an, licet damni periculum discussum jam sit, intempestiuam seruorum ancillarumque procaciam dissimulabit herus, & incendio extincto, cum incendiariis amicè ager & placidè? profectò si sapit, compositâ domo, flammis superatis, tum demum iratos vultus induet, ancillarumque licentiam meritis pœnis refrænabit, ne rursus per inertem indulgentiam, lasciuiendi detur occasio.

41.

Alioquin corpus iterum insolens.

Peccator, quisquis es, satis tibi conscius es, quantis ignibus arserit animus; ignibus inquam, qui æternas flammis prouocabant; discrimini vix ereptus es, lachrymisque quas ex animo expressas

42.

expressas tempestiuè adduxisti, sopitum est æternitate totâ duraturum incendium: gratulor imprimis tibi de benè peractâ re. Verùm an incendiarios non aggredieris? impunè illi totâ domo vagabuntur, vidente & injuriam dissimulante te? Vnde enim tam ingens ortum est incendium, nisi ex carnis petulantia, & feruorum ancillarumque plus æquo in tuis ædibus insolescentium, projectâ audaciâ? certè quotquot carni insident affectiones aut passiones, animæ mancipia sunt & ancillæ: hæc totam incendunt animam, impurisque consumunt flammis. Et hoc tu pateris? Consurge in iras aliquando tandem dignas te: ancillarum procaciam, etiam flagris, si necesse est, doma; & discant tandem dominum pati. Sciat caro mancipium esse se, mancipiorum pœnis dum afficitur; non facilè reditura in scelus, quod in se sentit non dissimulante, sed pro meritis castigari. Neque alio modo magis accommo, mancipium esse se corpus sciet, quàm si seruitutis notas, vibices verberum, tergo ferat. Discet profectò tandem caro modestè agere, neque dominæ, animæ inquam, de tam facili insultare.

43. Ne tamen, sic agendo suspiceris agere te crudeliter: misericordiam Dei imitaris; quæ, vt grauissimè docet Tridentinum, post condonatum culpam, pœnas tamen exigit. Eccur inquires? ne nimia indulgentia, relabendi causam det. *Et Diuinam decet clementiam*, inquit Synodus, *ne ita nobis absque vllâ satisfactione peccata dimittantur, vt, occasione acceptâ, peccata leuiora putantes, velut injuriæ & contumeliosi Spiritui Sancto, in grauiora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ.* Tanta est enim naturæ corruptæ peruerfitas, & placidis rebus in omnem insolentiam tam est projecta, vt Diuinam quoque clementiam deceat, non omnimodis esse clementem: quinimò misericordiæ quoddam genus sit, Deum condonatâ culpâ, remissisque æternis ignibus, peccatori adhuc aliquantulum subirasce. Ne tamen iram nomines: cæute la est. Hanc tu, Dei peccata castigantis amicam inclementiam imitâre; subigendum est corpus; domandi, quos altos nimium gerit spiritus, pœnisque inflictis continendum in officio, ne per antiquam petulantiam jugum excutiat, & per omnia præceps insaniat. Nam vt rectè Tridentinum: *Proculdubio magnopere à peccato reuocant, & quasi freno quodam coërcent hæc satisfactorie pœne, cautioresque & vigilantiores in futurum, pœnitentes efficiunt.*

Seueritas
illa clemē-
tia est.

Trid. sess.
14. c. 8.

Dum caro ciunt. Nihil verius : nam nullius rei expeditior est memoria, quam patientiæ. Facillimè in mentem venit id, vnde grauius sumus perpeffi. Pœnarum itaque corpori inflictarum, si perfunctoriæ non fuerint sed vrgentes, promptiffima erit recordatio; à pœnis autem natura pro genio suo cum abhorreat, etiam scelera auersabitur, è quibus supplicij de se sumendi data est occasio; neque deinceps erit caro ad audendum insolens, vbi pro audaciâ timet castigari: præsertim si experienciâ fuerit edocta, animum pro imperio agere, majoresque admoturum corpori pœnas, si pergat insolescere. Atque hic est pœnarum sponte susceptarum fructus eximius, futura nimirum scelera refecare; & corporis sui semper tumidi, semper rebellis, dominium exercere & quidem despoticum.

Fructus primus pœnitentiæ corporeæ.

Fructus secundus.

Alter qui ex spontaneis afflictationibus carnis fructus petitur, est vitiorum per socordiam, aut etiam per scelera contractorum, egregia medicina. Præclare id rursus Tridentinum, *medentur*, inquit, *peccatorum reliquijs, & vitiosos habitus malè viuendo comparatos, contrarijs virtutum actionibus tollunt.* Sic nimirum, consuetam oculorum petulantiam corriges, eos continendo per vim, vbi aspiciendi quæ grata sunt datur occasio: gulæ, vbi materiam subtraxeris, jejuniò medeberis: luxuriæ carnisque impetigini, admotæ pœnæ facient medicinam: non ad eò quòd corporis vires infringantur, spiritusque lasciuiæ detrahantur (non enim tam eximias pœnas à quouis passim exigi satis scio) sed quòd contrarijs actionibus decrescant paulatim vitiosi habitus, qui paulatim vires sumpserant, naturæque quasi altera natura adhærebant. Deteritur nimirum contraria agendo vitium; & prout creuerat, jam decrescit.

44.

Ibid.

Fructus tertius.

Adde, quòd cum summum submissiois genus sit, flagris mancipii adinstar cædi; & nihil ad eò inter homines censeatur humile & inglorium, quàm verbera inultum pati; sanè tam contemptibili ratione agendi dum caro excipitur, detumescet ancillæ fastus, & discet tandem meminisse conditionis suæ.

45.

Fructus quartus.

Quid, quòd tam egregia de corpore relata victoria, nouas easque eximias à Christo dandas gratias promeretur, qui bus imbutus animus ea tandem vitia superabit, pro quibus debellandis tantæ & tam crebræ exantlantur pœnæ?

46.

Denique

47. Denique vt caput hoc finiam : *Accedit ad hæc*, inquit Triden- ^{Fruitus}
 tinum, *quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jeshu qui* ^{quimus.}
pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est,
conformes efficitur; certissimam quoque inde arham habentes, quod
si compatimur, & conglorificabimur. Pudeat sanè legnem esse ve-
 rum peccatorem, vbi tanta in corpore innocentissimo sceleribus
 nostris eluendis perpeffus est, *qui peccatum non fecit*, peccatorisque
 similitudinem assumpsit, *absque peccato*, tantum vt pro peccatori-
 bus moreretur, moriendoque satisfaceret.

S. VII.

*Exponitur quibus pœnis corpus affligendum sit. Et quomodò à
 Deo corpori immiffæ miseriæ acceptandæ sint, vt per eas
 pro peccatis satisfiat.*

48. **E**Xcitata sunt fortasse quorundam studia : illudque sibi clarè
 edici postulant, quæ tandem sint afflictationes eæ, è quibus
 tam præclari animo fructus obuenant. Verùm ingrata corpori
 dum commemoro, nescio sanè an magna mihi præstanda sit au-
 dientia : nam quantumuis medicinæ oblatæ præstantiam æger
 approbet ; ejus tamen, si orexi aduersa est, memoriam exhor-
 rescit. Cùm autem de perdomandâ carnis petulantia mentionem
 fecerim, credent multi, me Sanctissimorum hominum prouolutu-
 rum exempla ; qui sancto quidem, sed admirando odio corpus
 persecuti, illud seueris modis pertractarunt : neque relatâ quam-
 uis victoriâ posuerunt arma, donec rebellantes quotidie carnis
 impetus, quotidianis etiam præliis aliquando tandem debellaf-
 sent. Tremunt hîc, fat scio, quorundam aures, & jam flagella
 aut loris aut funiculis intertextæ ; aut catenulas ; aut virgarum
 ictus audire sibi videntur, quibus, innocentissimi quamuis homi-
 nes, corpus quotidie excepere ; non aliàs ab incepto supplicio de-
 stituri, donec sanguine toti diffluerent. Timent alii, ne cilicia
 sensu horrida, aliaque pœnarum instrumenta in medium profe-
 ram ; quibus dum carni malè est, ejus impetigo eneruatur. Quid
 verò si jejunia commendem, ablegatasque deliciores epulas ; iis
 tantummodò admissis, quæ non delicias faciant, sed necessaria

*Pœnitentiæ
 quædam
 grauioribus
 exponuntur.*

tantum conseruandæ vitæ præstent alimenta? Quid si humi-
cubationes laudem, aut culcitræ stramineas, aut etiam meros
asseret; quibus corpus temerè injectum, non tam somnum capit,
quàm patiendi assiduam habet materiam? Quid si per Diuorum
templa supplicationes nudis pedibus, iisque dissimulanter super-
nè obrectis institutas afferam? Quid si denique genuflexiones in
multas horas, cum summâ corporis defatigatione protractas, alia-
que, etiam auditu horrida, commemorem?

*Mald iis à
quibusdam
obtenatur
corporis in-
firmitas.*

Obganniet, fat scio, indignabunda caro: pœnas has ad ere-
mos amandabit; suâque se infirmitate inuoluens, vires oneri im-
pares obtendet, & miranda hæc magis esse dicet, quàm à tam
imbecilli naturâ imitanda. Neque verò hæc etiam promiscuè
fufcipienda assero. Verùm etiam istud, quod promiscuè de cor-
poris infirmitate, valetudineque infringendâ socordiæ prætextitur,
audire prorsus nolo; rideo ego tales sanitatis patronos oppidò
intempestiuos. Constat enim sexcentas eos nugas facere, vt gulæ
seruiant, vt libidinibus indulgeant; quibus profectò longè magis
valetudini officiunt, corporisque infringunt vires, quàm si affli-
gendæ carnis petulantix operam darent gnauiter. Video passim,
imbecilles fœminas, tenerasque virgines, summam vim cor-
pori inferre: istud premere & coartare, frigora seminu-
das perpeti, aliaque incommoda fortiter sustinere, vt nè
videantur illepidæ. Atque hæc quidem earum valetudini
non nocent; prorsus tamen defecturæ sunt, si peccatis eluen-
dis, corpori tam tenero adhibendæ sunt pœnæ. Quis ista non
rideat?

49.

*Earum
prudens sit
usus.*

Neque tamen hæc dico, quasi si passim, & quotidie feue-
riora corpori admouenda sint supplicia; non enim viri, et-
iam sanctissimi, ea, aut omnia, aut quotidie in se exercue-
re. Commemoravi tamen singula, vt quisque quædam feli-
gat, suo tempore adhibenda. Scimus enim quot septima-
nis, vnum jejuniò posse seponi diem; scimus, per sacras
quadragesimæ ferias, aut Sanctorum festorumque insignio-
rum peruigilia, demum cum major aliqua gratiæ à Deo im-
petrandæ vrget necessitas; quædam ex recensitis pœnis, san-
ctè & magno cum fructu corpori admoueri, quæ toto anno in-
fligerentur fortasse non tantum incommodè, sed etiam impru-
denter,

50.

Verùm

51. Verùm si feueriora hæc valetudini verè non conueniant, mi- ^{Proponun-}
nora quædam sunt quæ carni non admodùm officiant, & tamen ^{tur penitè-}
emolumento etiam maximo, præfertim iterata sæpius, adhiben- ^{tia minoris.}
tur. Oculos v. g. in templo per quadrantem contine, nec quid-
quam nisi terram aspiciant. Duobus tribusue lautioribus bolis
dum comedis abstine, aut sale aut ferculo quo maximè dele-
ctaris; idque non quotidie, sed aliquando & dissimulanter. Rur-
sus dum genuflectendum est, quàm facile inæquale pauimen-
tum eligitur, cui non longo quidem tempore, sed per quinque
Pater & Aue, corporis aut tota aut dimidia moles incumbat?
Et quid si aliquamdiu nuda sint genua, an hoc adeo erit diffici-
le? Denique si expansis in crucis modum brachiis, in conclau
preces fundas, Deum supplici corporis habitu in misericordiam
insectas, delictisque veniam petas, an quidquam erit quod cor-
pus opponat, & de imbecillitate suâ conqueratur? quis hæc non
potest, etiam puer? Et quamuis exigua videantur ista non ne-
mini, dignaque quæ contemnantur; fructus tamen secum affe-
runt eximios, præfertim sæpius iterata. Assuescit enim hoc mo- ^{Earum}
do corpus animæ morem gerere; & quæ sentit quotidie imperia, ^{fructus.}
tandem reueretur. Dominum nempe discit metuere, cuius manum
experitur, non procul à se abesse. Sic eques nonnumquam frænum
retrahit, & lorum equo modestè infligit, etiam dum nulla aut non
magna vrget necessitas; vt sensu lori, quamuis exiguo, edoctus
equus meminerit se Dominum ferre non somnolentum, sed qui
etiam benè progredienti inuigilet.

52. Præter has tamen, quæ sponte infliguntur, pœnæ aliæ sunt ^{Pœnæ æ}
numero infinitæ (quid enim est misera hæc quam ducimus vita, ^{Deo aut}
nisi dolor assiduus perpetuusque cruciatus) quæ licet liberum non ^{naturâ in-}
sit assumere, liberum tamen est iis piè sanctèque assentiri. Deus ^{stia.}
bone, quanta hic sese offert pro peccatis satisfaciendi materia, ô
Peccator, si eâ dexterè noris vt i! thesaurus hic sese nobis aperit
oppidò diues nec facilè exhauriendus, vnde debitis expungen-
dis affatim existat copia. Eum autem contemnimus, quia pre-
tium ignoramus, aut potiùs nescimus pretium dare.

53. Thesaurum hunc si inquiris, non longè is petendus est; ad ma-
num prostat; ei innaschimur, eum incolimus, eique tandem immo-
riemur. Miseriæ humanæ hæc sunt, quas corpori euadere cum non
datur, datur tamen benè pati. Ad triplex ferè rediguntur genus. Pri-

Triā mis-
eriarum
humana-
rum gene-
ra.

imum est, quotidianus qui omnes quotquot viuimus, vrget la-
bor; defatigationes corporis & animi, quæ omnibus subeundæ
sunt, vt quisque munere suo defungatur: has sanè effugere om-
nino non possumus. Quid autem commemorem quæ conjugio
iunctis sufferenda sunt incommoda? mulieri quidem vt fœtum
gerat, infantem curet & nutriat; viro autem, vt necessaria do-
mui alimenta procuret? Neque dubitandum est peccati hæc es-
se supplicia, jam olim in Paradiso à Deo per sententiam illam
fatalem, & numquam obliterandam lata, *In dolore paries filios*, Gen. 3.
& rursus, *in sudore vultus tui vesceris pane tuo*. Statutum id est V. 16.
omnibus omnino Adæ filijs, à quo cum origine, traximus &
peccatum & peccati iusta supplicia. *Secunda* patientiæ materia,
est aëris cœlique intemperies & inconstantia. Nunc ficci sunt
dies, nunc pluuij; nunc frigore torpescunt membra, nunc ca-
loribus aduruntur; & tota interim patitur, imo dissoluitur et-
iam paulatim, artuum compago & corporis machina, *Tertia*
denique, sunt morbi corpori cuique proprij, non acres tantum
& periculosi, & qui valetudinem prorsus labefactant; sed etiam qui
sensim sine sensu corpus inficiunt, quosque languentes trahi-
mus. Capitis item aut dentium dolores; podagræ arrosiones;
calculi tormina, & cætera eiusmodi quæ carnem non mo-
dicè excarnificant, memoremque faciunt mortalitatis suæ.

Per mis-
erias huma-
nas datur
satisfactio,
si patienter
tolerentur.

Quid inquires? an ea quæ necessitate patior, & à Deo pecca-
tis castigandis immissa mihi sunt supplicia, possum ego in com-
putus referre, & pro pœnis debitis, solutionis vice repræsentare? 55.
Potes enim uerò; & hoc est, quod thesaurum nominarim. Deus
ea in solutionem recipiet, si tu noueris tua facere, quæ manu aut
vi pateris alienâ. En Tridentini Concilij, Dei mentem expli-
cantis, euidens effatum. *Docet Præterea* (Sancta Synodus)
tantam esse diuinæ munificentie largitatem, vt non solum pœnis
sponse à nobis susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro delicti mensurâ
impositis; sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, tem-
poralibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis,
apud Deum Patrem per Christum Iesum satisfacere valeamus. Quid
à Deo potuit fieri munificentius, aut liberalius offerri? Flagella
ab ipso inflicta, & hæc quæ natura secum fert mala & incommo-
da, sufferenda sunt etiam ab inuito: nec quidquam tibi Diuinæ
gratiæ demereberis, ita dum pateris. Quin ergo ex malis ipsis
fortunam

Trid. sess.
14. c. 9.

fortunam nobis fabricamus, & merendi materiam facimus, quæ cæteroquin futura sunt mera supplicia? Patienter modò feras quæ euitare non potes, & Deo facis satis.

55. Si verò quæris patienter ferre quid sit, respondeo id quidem non esse, non sentire molestias quæ feruntur, sed eas velle ferre, prout in 1. parte Artis semper gaudendi fusè explicuimus, locum si placet consule. Paucis dico. *Primò* quidem quotiescumque mala hæc aut incommoda ingruent, manum castigantis te Dei supplex aspice, & factum proba. *Deinde* cum Dauide istud proclama, *Quoniam ego in flagella paratus sum; quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo semper.* Atque hoc est *patienter tolerare* vt loquitur Tridentinum, id est voluntariè suscipere, quæ non voluntariè inflicta sunt mala. *Tertid* denique seuerus obiice reluctanti corpori, non esse quod queratur; iusta inferri supplicia, meritisque longè inferiora. Sic & carni moderandæ frænum iniicitur, & Diuinæ justitiæ satis fit.

Tolerare patienter est tolerare voluntariè.

1. par. Artis Gaudendi Tr. 14. §. 3. & 4.

Psal. 37. 7. 18. 19.

56. Cùm itaque manum admoues operi, largusque diffluet è vultu sudor; cum verò animos arrige, corpori seruitutem exprobra, & hæc esse ad quæ natum est. Si frigore algeat, si calore dissoluatur, dic illicò, mansuetè adhuc secum agere offensum Deum. Si capitis aut stomachi aut dentium dolores vrant; Eia inquires, patiantur membra, per quæ peccatum est; doleat caput quod nimium intumuit, spiritusque ponat: doleat stomachus cui plus nimio indultum est: doleant dentes & malè sit ori, quo toties aliena arrofa est fama, & discat tandem sapere malo suo. Si podagræ cruciatibus distineris, hæc dicas petulanti bellæ vincula conuenire, ne rursus in præceps abeat. Cætera, in hanc rem quæ sint, facilè suggeret, corporis sui compos animus, si ei statuerit non obsequi, sed strenuè dominari. Atque in hoc pœnarum genere sufferendo, non facilè errabitur, cùm non propriâ inferantur voluntate, sed Diuinâ. In iis verò quæ sponte propriâ assumuntur pœnis, quæ, quantæ, & quomodò corpori ingrendæ sint, non est meum id generatim decernere; cùm & alia aliis sit membrorum firmitas, alia in aliis carnis impetigo, alia denique atque alia rerum circumstantiæ; quæ singulæ considerandæ sunt, vt prudenter, quid cuique competat, statuatur.

Exponitur praxis, quæ excipienda sunt pœna à Deo immissa.

57. Istud generatim dico, non nimium ablandiendum esse corpori: plura sufferre potest asinus quàm præ se ferat. Dum pœnas

Abhorritio
nas

nas caro, jugum excutit: vagari vult, non coërceri: & dum ferendo imparem sese fingit, mentitur splendide; obmurmurat, tantum vt decipiat. Sanè, iterum id ingero; pœnæ sit socius, qui confors fuit culpæ. Itaque Paulinum istud intorqueo, quod quidem arbitror esse justissimum, *Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditie & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitie in sanctificationem.* Injusta fuere quæ Diuini honoris patrata sunt atrocina: hisce faciendis exhibuistis membra vestra. Justa est quæ à Deo petitur honoris reparatio, justæ quæ exiguntur pœnæ. Justum igitur est ea ipsa membra exhiberi vt seruiant iustitiæ in sanctificationem. Hactenus & oculi impudici, & lingua petulans, & cor sœdis amoribus æstuans, & caro lasciuens quid quæso fuere, nisi *arma iniquitatis*, quibus Deo per summum nefas indictum est bellum; anima verò pestumdata, ac prorsus prostrata? Vides nunc, si quidquam vides, quàm sit actum imprudenter. Iustitiæ faciendum est satis. Itaque arma arripe, Deique causam propugna strenuè, imo & tuam. Arma hæc, sint posthac membra tua, hæc sint, vt ait Paulus *arma iustitie Deo.* Manus erige, vt corpus impetas; genua, vt illud in terram prosternas; oculos, vt ei libidinis incitamenta subtrahas; gulæ carnisque appetitus, vt eos frangas; sensum, vt illud excrucies, debitisque etiam priues commodis. Et sic tandem sciat superba caro, & Deum esse quem offendit, & animam cui subiicitur; & tandem ea quæ miseræ naturæ præstantur commoda, non tam deberi, quàm indulgeri.

Ad Rom. 6. v. 19.

Ibid. v. 13.

Corpori bene sit, cum exarceat.

Quod si autem, more suo, corpus obmurmuret, & de rigore nimio conqueratur; tum istud, vt ne planè deficiat, cum D. Bernardo, ei insuffurrabis. *Quid adhuc murmuras misera caro? quid adhuc recalcitras, & aduersus spiritum concupiscis?* An non hæc, & verò etiam longè grauiora meruisti? toties rebellis, toties mendax, toties perjura dum morem te Deo gesturam promittebas, quid tibi nunc vis credi? sanè subiicit Sanctus Pater, *si te humiliat toties à te decepta anima, si redigit in seruitutem, id profectò in tuo genere non minùs tuâ interest, quàm ipsius.* An non id potius est & illi & tibi, pacificè agere, & amicum Deo viuere, cuius iram nemo nisi malo suo exacuit? Causam tuam agit anima, dum agit suâ. Propterea, vt alio loco egregiè monet idè Sanctus, *noli, ô corpus, noli precipere tempora: potes impedire anime tue salutem, tuâ ipsius operari non potes.* Igitur, patere vt nunc anima pro se laboreat. *Magis autè etiâ collabora: quoniã si cõpateris, & conregnabis.*

58.

D. Bern. ser. 2. de verb. Isaï.

D. Bern. serm. 6. de Aduca.